DE
REPVBLICA ORDINIS TEVTONICI
BORVSSICA

COMMENTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI M. MARTII A. MDCCCLXX HORA XII

IN PVBLICO DEFENDET

PETRVS DIDOLFF

BORVSSO-RHENANVS.

ADVERSARII ERVNT

DR. FERDINANDVS HENRICH CONFLVENTINVS
OTTO VON SALLWVERK HOHENZOLLERANVS
JOSEPHVS HEIMSOETH COLONIENSIS

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI.

Petrus Didolff de vita sua.

Petrus Didolff natus sum in vico Borusso Rhenano Pier Iuliacum inter et Marcodurum oppida sito die proelii Katzbacensis memoriae sacro anno MDCCCXLVI catholicus patre Petro, pagorum complurium consule, matre Christina de gente Fleuster, quos adhuc superstites pie veneror. Absoluta institutione puerili autumno a. h. s. LVIII annum tertium decimum agens gymnasium adii Marcoduranum tum Meiringio nunc Bogenio florens directore, ubi per septem annos praestantissimorum disciplina praeceptorum usus sum, inter quos praecipue mihi nominandi sunt Meiring, Ritzefeld, Guilelmus Schmitz, I. M. Stahl: quibus qnantum debeam non est huius loci pluribus persequi. Exeunte anno LXV maturitatis testimonio quod vocant instructus almam petii literarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam, ut studiis operam navarem historicis, philologicis, philosophicis. Rectore magnifico Naumann, decano spectatissimo Kampschulte civibus academicis me adscriptum per octo semestria detinuit alma mater studiosum virorum doctissimorum Bernays, Heimsoeth, Jahn, Kampschulte, Knoodt, L. Mueller, Neuhaeuser, Nissen, von Noorden, Reifferscheidt, Ritter, Schaefer, Simrock, Springer, von Sybel, Usener. Praeterea exercitationibus quas moderabantur philologicis et postea palaeographicis Mueller, epigraphicis et numismaticis Nissen, philologicis Reifferscheidt ut interessem benigne permiserunt. Singulari autem Kampschultii, Schaeferi, Sybelii benevolentiae debeo quod in seminarium regium histori-

cum receptus sum, cuius per quater senos menses sodalis fui ordinarius. His viris cum omnibus de me optime meritis ex animi sententia gratias habeo quas debeo maximas tum seminarii regii historici directoribus clarissimis et Fr. Guilelmo Kampschulte et Arnoldo Schaefer et imprimis Henrico von Sybel, qui omnibus modis de studiis meis historicis insigniter meritus est cuiusque memoria pio gratoque animo mihi nunquam non erit gratissima.

Sententiae controversae.

1. Convenerunt Fridericus Barbarossa imperator et Henricus Leo dux ante pugnam ad Legnianum factam Clavennam, at pax et amicitia statim ruptae non sunt.
2. „Corroboratio" diplomatum persaepe naturam partesque nobis indicit „dispositionis" itaque totius diplomatis.
3. Honorius Augustodunensis Augustanus fuisse videtur.
4. Proelia, quae apud Vesuvium et Trifanum facta feruntur, pugna gemina ad Vesciam Trifanumque fuisse videntur.
5. Volsci antiquis temporibus cum Umbris inter silvam Ciminiam et Tiberim flumen habitasse videntur.
6. Horat. ep. II, 3, 128, scripsisse videtur: „Sed facile est proprie communia dicere: tuque".
7. Horat. carm. I, 14, 13, legendum puto: „Iactes et genus et nomen: inutile".
8. „Circulus in demonstrando" persaepe in disciplinis historicis philologicisque „vitiosus" non est, si, quae conclusionibus cognoscuntur, rerum naturae legibusque conveniunt.
9. Recte Droysen Historik p. 25: „Das historische, nicht das juristische Studium ist die Grundlage für die politische (und administrative) Ausbildung; der Staatsmann ist der praktische Historiker: θεωρητικὸς τῶν ὄντων καὶ πρακτικὸς τῶν δεόντων."

20

10. Quod pedetemtim respublica Germanica nobis succrescit, naturae historiaeque Germanorum convenit, non vitio dandum est viris, qui rebus publicis praesunt.
11. Hoc ipso anno 1870 populo Germanico sollemnia mille annorum saecularia celebranda sunt.
12. Rempublicam Borussicam ex omnibus Germaniae gentibus compositam esse, negari non potest.
13. Historia in gymnasiis usque ad nostrum tempus prosequenda est.

HENRICO VON SYBEL

NEC NON

GVILELMO SCHMITZ

PIETATIS ERGO.

Ordinis Teutonici res Prussicae a quibus hactenus scriptae et quibus rationibus explorandae diiudicandaeque sint.

I. Voigt[1]) primus historiae Prussicae certum posuit fundamentum; sed chronicorum narrationes plus aequo secutus diplomatis non satis magnam tribuit auctoritatem, et multis quae ex illo tempore in lucem edita sunt literarum caruit subsidiis.

E. A. Herrmann[2]), postquam Voigtii »Codex diplomaticus Prussius« Regiomonti a. 1836 foras datus est, ordinis in Prussia Teutonici initia denuo exquisivit. Qui cum Christianum Olivensem Prussiae episcopum simul eiusdem terrae legitimum fuisse dominum putaret, fieri non potuit, quin ordinem Teutonicum vi atque iniuria summam rerum sibi arripuisse iudicaret.

Roepell[3]) Herrmanni libro non usus Conradum Masoviae ducem, non Christianum, ante ordinem Teutonicum in Prussiam advocatum terram Culmensem suo iure possedisse recte docuit; perperam tamen in eam sententiam delapsus est, ut ducem illum etiam postea Culmensis Prussicique territorii imperium sibi retinuisse putaret.

Von Stramberg[4]) Vogtii plerumque auctoritatem secutus totamque ordinis historiam late longeque scrutatus res Prussicas brevius narravit.

---

1) Geschichte Preussens, Königsberg 1827 sqq.

2) Rationis, quae ordini militari Teutonico cum ordine ecclesiastico saeculo XIII. ineunte in Prussia intercesserit, explicatio. Diss. Berol. a. 1837.

3) Geschichte Polens, Hamburg 1840 vol. I. p. 427 sqq.

4) Das Deutschhaus. Der deutsche Orden. Rhein. Antiq. Mittelrh. I. 3, p. 101 sqq. (Coblenz 1854.)

Watterich[1]) Herrmanni dissertatione prorsus neglecta eandem argumentationem pluribus iterum instituit.

Romanowski[2]) quoque Herrmanniana usus dissertatione non est. Qui quamquam Roepellii sententiis illis longius pertractandis haud sane multum profecit, tamen nonnullas Watterici opiniones recte refellit.

Waitz[3]), priusquam Romanowskianae commentationis notitiam habuit, Watterici librum dilucide sed brevius confutavit.

Leo[4]) Wattericum plerumque secutus cum Herrmanni et Romanowskii nullam habuit rationem tum Waitzium[5]) plane contempsit.

Cum Hirsch, Toeppen, Strehlke »Scriptores rerum Prussicarum« Lipsiae a. 1861 sqq. egregie ederent, von Treitschke[6]) totam ordinis historiam Prussicam brevissime complexus cunctam harum rerum explicationem atque exitum perspicue eleganterque illustravit.

Ewald[7]) Romanowskio Leoneque neglectis primam episcopi Prussici condicionem Waitzii nisus auctoritate accuratius explanavit, non accessit ad difficultates rerum insequentium.

Rethwisch[8]), qui Strambergii, Leonis, Treitschkii non

---

1) Die Gründung des deutschen Ordensstaates, Leipzig 1857.

2) De Conradi ducis Masoviae atque ordinis cruciferorum prima mutuaque condicione. Diss. inaug. Posnaniae 1857.

3) Gött. Gel. Anz. 1858 p. 1761 sqq.

4) Vorlesungen über die Geschichte des deutschen Volkes und Reiches vol. III p. 642 sqq. (Halle 1861.)

5) cf. K. W. Nitzsch, v. Sybel, hist. Ztschr. v. VII p. 271 (1862).

6) Das deutsche Ordensland in Preussen, Preuss. Jahrb. vol. X (1862) p. 95 sqq. Quae commentatio formulis typographicis repetita est in von Treitschkii »Historische und politische Aufsätze« (Leipzig 1865) p. 1 sqq.

7) De Christiani Olivensis ante ordinem Teutonicum in Prussiam advocatum condicione. Diss. inaug. Bonn. 1863.

8) Die Berufung des deutschen Ordens gegen die Preussen. Gött. Inaug. Diss. Berl. 1868.

inspexit libros, res Prussicas non ultra annum 1230 est prosecutus, quippe quod iam tum certissimis pactionibus de ordinis rebus diiudicatum esset et insequenti demum anno 1231 equites Teutonici reapse Vistula traiecta Prussorum fines armis intrassent; Culmense deinde a reliquis Prussiae territoriis nimis seiunxit et simili modo Prussos paganosque ex una parte, christianos Polonosque ex altera nimium separavit; tum singula quaelibet diligentissime perscrutatus praetermisit interdum rerum coniunctionem, convenientiam, probabilitatem; qua de caussa permulta diplomata adulterina esse putavit, quod aut argumentum aliis repagnaret aut verba formaque offenderent, quae tamen diplomata aut aliis temporibus alias rerum condiciones fuisse ostendunt, ita ut res mutatas pedetemtim et explicatas esse cognoscamus, aut quorum contextus in rebus plane sincerus, sed, cum archetypa desint, forma non incorruptus coniectura corrigendus est.

Fr. Winter [1]) in omnibus fere rebus Vogtii solius expositionem secutus ad similitudinem Herrmannianarum opinionum raro accedit; sed, quae praecipue spectanda fuit scriptori, doctrina christiana ab ordine Cisterciensi propagata et copiose et clare colligatur.

Quae cum ita sint et propter summam harum rerum gravitatem non alienum videtur ordinis Teutonici historiam Prussicam usque ad perfectam reipublicae constitutionem — inprimis politicas rerum condiciones — denuo perscrutari atque conscribere.

Neque supervacaneum puto, commentationi earum rationum praemittere explicationem, quibus hac in re exquirendum exquisitumque diiudicandum sit; nam adhuc Herrmann, Watterich, Leo episcopi Prussici imperium, Polonorum Roepell et Romanowski solum in Prussia comprobandum

---

1) Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands, Gotha 1868 p. 263 sqq.

ducunt, Waitz et qui eum secuntur Ewald et Rethwisch in eis quas pertractant historiae partibus modo contrarios ultra fines progrediuntur modo opinionibus detinentur vetustioribus.

Atque primum qui his rebus operam navant id omnibus persuasum erit, ex ipsa de quibus agitur rerum natura omne fere studium in eis ponendum esse cognoscendis rationibus, quae et in Prussia et in terra Culmensi ordini Teutonico cum imperatore papaque atque ducibus Polonorum Prussorumque episcopis intercesserint: quas singulas enucleandas esse consentaneum est.

Hae autem postquam exploratae sunt condiciones non ita omnes legibus atque officiis metiantur, sed in rebus gestis historicorum modo, locorum atque temporum adhibita ratione, praecipue spectandum est, quae fieri omnino potuerint. Nam ex iuris praeceptis de libera Prussorum patria nemo fuit qui decernere potuit; attamen Poloni ut iam Culmensem provinciam sic totam Prussorum terram expugnassent, aut Christianus ad exemplum episcoporum Livonicorum episcopatus sui nascentis paullatim dominus factus esset, nisi vires et fortuna utrosque defecissent: Sed cum Prussi illo tempore ad Christi doctrinam utique traducerentur necesse esset, ordo Teutonicus ut id perficeret in Prussia constitutus est.

Quo tempore cum re ipsa publicum a privato iure non satis seiunctum neque omnium summa rerum penes unum erat terrae dominum [1]) tum verba desunt in diplomatis, quibus haec omnia proprie ac perspicue significentur. Hae enim condiciones politicae cum nascentes itaque ambiguae ac dubiae tunc essent, inprimis, ut saepe fit in rebus politicis historicisque, id videndum est, quemadmodum creverint et postea adoleverint.

Propter fontium deinde naturam, cum et scriptores

---

1) v. Sybel, Kleine hist. Schriften vol. I, (München 1863 et 69) p. 377.

desint testes rerum locupletes neque diplomatum integra constet auctoritas: mutuae illae quae ordinem Teutonicum inter et reliquos supradictos intercesserunt rationes describi aliter non possunt, nisi interpretandis instrumentis gravissimis.

Ex his enim rerum praeteritarum monumentis atque reliquiis ipsae res mente rursus restituendae sunt, quomodo gestae sint et coniunctae inter se tempore, loco caussarumque connexu [1]).

Chronica enim scrutantibus nobis ordinis condiciones politicas nullius sunt momenti [2]), quia eiusdem aetatis scriptores a Prussia, quam raro attingunt, Prussici a rerum, quas fuse referunt, aetate longius aberant, quam quibus fidem habere possemus.

Diplomata vero non nisi gravissimis caussis subditicia reicienda sunt et plerumque consilium subiectoris vel interpolatoris probalile aliquid inveniemus [3]). Itaque errores mendaque instrumentorum minora (praecipue scribarum) corrigenda sunt potius, quam pro spuriis habenda ipsa diplomata. Nam »non ex sola scriptura neque ex uno solo characterismo sed ex omnibus simul de vetustis chartis pronunciandum«; »unum aut alterum defectum, modo essentiale non sit, legitimis autographis obesse non debet« [4]); at quanto minus etiam apographis [5]).

Atque prospere in his rebus nobis contigit, quod philologo magis et diplomatico difficultatem interpretationis afferunt vitia instrumentorum, quam historico, quia verba

---

1) v. Sybel, Ueber die Gesetze des historischen Wissens, Bonn 1864 p. 6 et 17.

2) cf. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen p. 405, 409 cet.

3) Sickel, Urkundenlehre (Wien 1867) p. 31 §. 9.

4) Mabillon apud Sickel p. 366 sq.

5) Sickel p. 382.

formaque saepissime depravata sunt raro argumentum historicum iuridicumque, quod nonnisi consulto mutari potest[1]; nam quae de industria fingantur, facilius cognoscuntur[2]. Qua re ex his ipsis partibus gravissimis de diplomatum auctoritate iudicandum est; nam si diplomatica discplina et philologica instrumenta bene ficta a male descriptis distinguere nequit[3]: ex historicae artis criticae lege de argumento diplomatum decernendum est, quae res explorat, quomodo tempore, locis caussarumque connexu inter se coniunctae esse possint[4].

Qua tamen lege nunquam diplomata pro falsis ducenda sunt propterea quod vetustiora aut insequentia alias condiciones certiori suo testimonio confirment; sed, si ita res est, condiciones plerumque tempore mutatas agnoscere possumus; quas celeriter tunc mutari potuisse experientia docet omnium temporum turbidorum. Atque cum diplomata ex tam antiquo tempore cuncta non supersint, per se ipsum verisimilius est, raras nobis deesse fontium partes, quam ex servatis instrumentis multa etiam plane posse spuria reprobari, nisi caussae fidei obstent gravissimae.

In expositione denique rerum ita agendum est, ut cum diplomatum, quantum fieri possit, series servetur, tum condiciones de quibus dictum est politicae distineantur quam maxime. Itaque in singulis tractandis instrumentis respiciendum est, quae in aliis de ipsis dicantur et quemadmodum cum ceteris cohaereant atque contexta sint. Nec, si dubius diplomatum sensus est, ex rerum statu id iudicari non potest, quaenam constitutiones, praescripta, leges, cetera dicta esse verosimile sit, et quaenam dari et ad effectum adduci omnino potuerint.

---

1) Sickel p. 381 sq.
2) v. Sybel, Gesetze p. 18.
3) Sickel p. 391.
4) v. Sybel, Gesetze p. 15 sqq.

Rationes vero ordinis in Prussia politicae ut clarius perspiciantur, et status rerum ante ordinem advocatum Prussicarum et ordinis in Prussiam non iam arcessiti condiciones antea singulares explanentur.

Atque postea minime omittendum est exquirere, quae inter papam et imperatorem coniunctiones et necessitudines unoquoque tempore fuerint, quippe quibus Hermannus de Salza, ordinis magister, consuetudine implicitus esset.

In aestimatione postremo rerum ordinis Prussicarum, si rectam instituere volumus diiudicationem, bene animadvertendum est, rempublicam ab ordine equitum ecclesiastico constitutam rem fuisse eximiam atque mirificam; quae cum facile illicita videri posset, opinionem plerisque movit, aliorum hac re iura esse violata.

Qua de caussa omnes adhuc nescio an nimium in diplomatis inesse crediderint; sed cum nullo fere temporis discrimine firmae plane atque indubitatae rerum constent condiciones: et diplomatum series magis continens atque perpetua nobis apparebit et res fluxae atque nascentes omnes cognoscemus, quomodo creverint, adoleverint, explicatae manifestaeque paullatim gradatimque factae sint.

I.

De condicione ordinis Teutonici ante quam in Prussiam advocatus sit.

§. 1.

De privilegiis ordini Teutonico ab imperatore papaque donatis.

Ab exiguis profectum initiis sed mox valde adultum ordinem Teutonicum iam Coelestinus III papa omnibus iuribus, privilegiis, libertatibus donavit, quibus reliqui equitum

ordines fruebantur[1]); et exinde Teutonici ab omnibus imperatoribus, papis, principibus in omnibus rebus adiuti sunt[2]).

Inprimis igitur fratres ordinis et possessiones praesentes et futuri sub specialem imperatoris papaeque defensionem suscepti sunt[3]).

Soli vero clerici avidi et ambitiosi tantum aberant, ut equitum Teutonicorum commodis prodessent ut omnibus modis, sed malitiosa praecipue privilegiorum interpretatione impedimenta eis inferrent[4]).

Qua re papae magis etiam commoti sunt, ut et ordinem a potestate clericorum eximerent neque qui privilegiis equitum obstarent ecclesiasticos inultos paterentur[5]). Fuit enim iam liberatus ordo a decumis solvendis atque ipsi episcopi sacramenta eis gratis subministrare debebant[6]). Praeterea etiam, quominus constitutiones ordinis calumniose interpretarentur, sententiam perverterent, privilegia infringerent ecclesiastici, papa vetuit atque prohibuit[7]).

Sed gravissimum id omnium Teutonicis beneficium datum est, quod, ut nullum praeter ipsos papas haberent episcopum vel praelatum, Romanus pontifex decrevit. Qua constitutione ordini certissimum potestatis incrementique fundamentum datum est, cum simul nominatim praeciperetur, ne ullo praelato, nisi ipso imperante papa excommunicationis vel interdicti poena ordinem afficere inulte liceret[8]).

Quin etiam lege quadam prohibitoria, ut ne papae quidem praecepta observarent, siquidem ipsi iniusta ea esse

---

1) Voigt II, 45 sqq.
2) Voigt 47 sqq., 50, 60, 76, 82, 134 sq. cet.
3) Voigt II, 33, 80 sq., 98, 122 cet.
4) Voigt II, 102, 106 sqq., 114, 136, 148 sq. cet.
5) Voigt II, 101, 103 cet.
6) Voigt II, 81, 100 sqq.
7) Voigt II, 137 sq.
8) Voigt II, 101 et 105.

putarent, fratribus domus S. Mariae Teutonicis concessum est[1]).

»Prohibuit praeterea et omnimodis interdixit papa, ne ulla ecclesiastica secularisve persona a magistro et fratribus eiusdem domus exigere indebite auderet fidelitatis hominia vel reliquas securitates, que a secularibus frequentarentur«[2]). Hoc igitur dato privilegio iuramentum feudale ab ordine difficillimum erat postulari, quod mox ex consuetudine iuris interpretationisque omnibus vetitum videri potuit, nisi ipse papa antea permisisset[3]).

Sed ut magis, quam ad id tempus privilegiis valuisset, iniurias nullas pati sineret Teutonicos, et illud papa constituit ordinis beneficium, ut ipsorum equitum testimonio iura ordinis demonstrari atque probari possent[4]).

Cum autem clerici calumniis semper iurisque cavillationibus et molestiis clandestine allatis ordinem etiam postea persequerenter, adducti sunt papae, ut et beneficia ordinis magis semper propria, manifesta, indubitata redderent et ipsum ordinem in rebus ecclesiasticis quantum possent liberum, suae potestatis, nullius praelati imperio obnoxium constituerent. Itaque res ordinis sacrae melius instructae sunt et permissum fratribus clericos et sacerdotes in ordinem recipere, qui nemini praeter ipsius ordinis capitulum magistrumque subiecti essent[5]).

Neque in terris crucesignatorum auxilio subiciendis id levissimum fuit beneficium, quod papa »quemlibet sancte crucis signaculo signatum, si quod impedimentum canonicum non obsisteret recipere« magistro ordinis permisit[6]).

---

1) Voigt II, 137 sq.
2) Voigt II. 84.
3) cf. Voigt II, 344 sq. Herrmann p. 16 sq.
4) Voigt II, 107.
5) Voigt II, 107 sqq.
6) Voigt II, 106.

Tantis ergo possessionibus privilegiisque ornatus ac tam libera firmaque praeditus constitutione erat ordo Teutonicus — cuius iam magistrum imperator papaque principem imperii creaverant [1]) — cum sub initium anni 1226 contra Prussos vocatus est a Conrado duce Masoviae, qui omni salutis spe destitutus terrarum promissionibus »ut evitaret maius malum« ordinis auxilium petiit [2]).

§. 2.

De ordine Teutonico in terra Burza constituto. [3])

Cumani, gens ethnica, cum Hungaros finitimos iam diu bellicis excursionibus vexantes regionem inprimis Transsilvaniae orientalem, quae Burza dicitur, plane depopulati essent: anno 1211 Andreas II Hungariae rex ordini Teutonico, ut paganos illos a regni ianua arceret, Burzam tradidit ab omnibus exactionibus decumisque liberam et soli regi subiectam.

Quibus donationibus receptis insequenti iam anno cum episcopo Transsilvaniae de ecclesiasticis privilegiis ordini contentio orta sed mox pactione composita est.

Per decem tum annos bello gerendo, arcibus aedificandis, colonis accessendis usque ad Danuvium flumen ordo progressus terram tutam colonisque Germanicis habitatam reddidit. Sed cum hostes devicti essent, belli fortuna ordini iniustae finium proferendorum cupidini data est: De politica ordinis condicione cum rege Tentonicis quaestio exorta est.

Quo ipso tempore cum Bela filius regis et qui cum eo facerent possessionibus quas rex temere donasset restituen-

1) Voigt II. 152, Roepell 436, von Stramberg 199.

2) Acta Borussica I. 420 cf. Voigt 157 et 202.

3) Voigt II, 85 sq. 125, 143 sqq.; von Stramberg p. 186 sqq.; Schuller Archiv für die Kenntniss Siebenbürgens I, 161 sqq.; Toeppen Scr. r. Pr. I, p. 31; Leo 661 sqq.; Philippi, Die deutschen Ritter im Burzenlande; Rethwisch p. 26 sqq.

dis operam darent, Andreas II qui adversa fortuna expeditionem sacram susceperat pecuniaeque inopia laborabat, commotus est, ut pactionem terramque ordini derogaret. Quae postquam papa intercedente composita erat controversia mox denuo de iuribus ordinis episcopique contendebatur. Atque initio rex ordinis partes secutus est; sed cum papa anno 1224, ut magis etiam Teutonicos tueretur, Burzam »in ius et proprietatem S. Petri et sub defensionem specialem S. Sedis« reciperet, suspitio regis animo incidit, ordinem etiam a regia potestate et dicione Burzam velle liberare.

Itaque cum equites Teutonici vi armorum in perpetuum e terra Burza tum eicerentur, effluxit spes regni Germanici in Dacia condendi. Sed quamvis frustra papa et magister ordinis, ut pristinam restituerent condicionem, operam darent, tamen bellis gerendis, paganis convertendis, castellis coloniisque constituendis, inprimis autem episcopalibus principalibusque iuribus ac postulationibus oppugnandis in Transiilvania ordo Teutonicus praeparatus atque instructus erat ad novum negotium Prussicum.

II.

Qui ante ordinem Teutonicum advocatum rerum status fuerit Prussicarum.

§. 1.

De Livonia ad fidem Christinam traducta — De Livonico equitum ordine.

Cum Adalbertus et Bruno apostoli a Polonis adiuti frustra Prussos ad legem christianam perducere conati essent annis 997 et 1009 [1]) nec Poloni vi armorum Prussiam in suam redigere potestatem valerent [2]): per duo tunc saecula

1) Voigt I, 264 sqq. Roepell 105 sqq.

2) Voigt I, 294, 299, 357 sqq.; Roepell I, 106 149, 257 cet.

nihil contra Prussos moliebantur evangelii praedicatores, donec omnes circa regiones christianae factae sunt. Prima enim Pomerania saeculo XII. ineunte Ottóne Bambergensi apostolo conversa est. [1]) Sub finem deinde eiusdem saeculi etiam Livonia primos vidit conversores christianos. [2])

Livonia principi Polocensi quodammodo obnoxia fuisse vedetur, qui Meinhardum Livorum apostolum initio adiuvit. Sed neque Meinhardus neque qui ei successit Bertholdus episcopus etsi crucesignatorum auxiliante exercitu quod voluere assecuti sunt.

Saeculo vero XIII. ineunte Albertus, tertius Livoniae apostolus episcopusque, firmum christianitatis posuit fundamentum cum continuis expeditionibus sacris et religionis propagatione melius ordinata tum exercitu perpetuo vel equitum ordine instructo, qui »fratres militiae Christi« et ex vestium signo »Gladiferi« vel »Ensiferi« appellabantur (a. 1202). Cui ordini auctor et dominus Albertus tertiam partem terrae conversae itaque ad episcopum pertinentis addixit.

Cum autem episcopus suae dicioni subicere terram velle videretur, Polocensis ante omnes, qui Duinam flumen accolebant, principes Russicos Alberto sese oposuit, quod a Livis antea gentilibus stipendium exegisset. Sed imperator, quippe ex quo omnes penderent paganorum regiones, episcopo terram confirmavit.

Deinde ordinem inter et episcopum ortum est dissidium; nam cum opiscopus summum haberet imperium atque commodum, potestatem contra equites et bellorum onera, neque tamen episcopus et ipse ordinis esset magister et caput:

---

1) Wattenbach 369 sqq.

2) Voigt I, 380 sqq.; Herrmann p. 12 sqq.; Winter 218 sqq.; K. von Schloezer, Livland und die Anfänge deutschen Lebens im baltischen Norden, Berlin 1850. O. von Rutenberg, Geschichte der Ostseeprovinzen Liv-, Esth- und Kurland, Leipzig 1859 sq.

fieri non potuit, quin crescentibus ordinis potestate, munere, necessitatibus discordiae nascerentur, siquidem episcopus sua sponte harum rerum non habuit rationem. [1])

Tota enim Livonia expugnata iam a. 1206 Gladiferi ab episcopo petivere, ut, quod ipsa rerum natura imperare videtur, totius Livoniae tertiam eis traderet et tantidem ex omnibus postea, quae expugnaturi essent, territoriis, ne ipsi mercedis plane expertes et adultis rebus publicis impares essent, neve numero equitum adaugescente opibus ad vitam necessariis egerent.

Atque diuturna, cum Albertus iustis precibus cedere nollet, orta dissensio, dum Innocentius III papa a. 1210 controversias composuit. Itaque ordini Livoniae Lettiaeque tertiam partem, multa beneficia, nullum officium novum decrevit, et quas novas sibi comparare possent regiones totas atque integras equitibus adiudicavit; sed rerum inprimis ecclesiasticarum in his terris ordinandarum sibi papa excepit facultatem. Praeterae etiam cum principe Polocensi pax pactumque episcopo convenit. [2])

Sed cum ne tum quidem ordo Livonicus imperio subditus episcoporum eam, quam res publicae desiderabant, potestatem assequi posset neque episcopi illarum regionum satis ex unius penderent voluntate: plane defuit Livoniae vis illa quasi centralis, quae sola civitatem diu valet confirmare atque conservare. Itaque pugna magna anno 1236 in Lithuania devictus ordo Gladiferorum, qui rem christianam simul in Esthonia, Livonia, Curonia sustineret, sustineri ipse non potuit, nisi coniunctus esset cum ordine Teutonico, qui in Prussia melius et rectius constitutus firmiorem celerius condiderat rempublicam.

---

1) Von Schloezer p. 80 iniuste mihi ordinem vituperare videtur.

2) cf. Voigt I, 424 sq: von Schloezer, 82 sqq.

§. 2.

De Prussiae convertendae conatibus. Quid papa et imperator de Prussia statuerint.

Dum haec in Livonia geruntur, Prussiam quoque novi ingressi sunt apostoli,[1]) quorum Christianus Olivensis longe excellentissimum se praestitit. Quos fidei pacate propagandae conatus libentissime adiuvit Innocentius III papa, qui a. 1210[2]) ad archiepiscopum Gnesnensem literas misit, ut neophytis et Christiano prospicere vellet, dum ipsa Prussia proprium accipere posset episcopum. Inprimis autem omnes neophytis clementes et benignos se praebere iussit papa, nimirum ut magis in novam fidem Prussorum animos inclinaret: id quod iam antea[3]) et saepissimi semperque clarius postea praeceptum est.

Eodem modo omnes quoque, qui Cisterciensis erant ordinis, papa admonuit, ut Prussorum praedicatoribus pro virili parte et ipsi consulerent.[4]) Sed qnid spectaret papa, ex eis iam magis elucet quas a. 1212 Poloniae et Pomeraniae ducibus misit, epistulis:[5]) Prussos eo mitius esse tractandos »quo facilius retro aspicerent inhumane tractati« nec »oneribus servilibus« premendos, ne »venientes ad christianae fidei libertatem deterioris condicionis fierent . . . sed agendum tanto clementius cum eisdem, quanto facilius relaberentur;« idciro Gnesnensem archiepiscopum iussum esse, liberos servare Prussos »a molestiis indebitis et pressuris, oppressores eorum indebitos monitione premissa per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis impedimento compescere.«

Interea quod multi iam erant baptizati, Christianus

1) Voigt I, 428 sqq; alii.

2) A. B. I, 149; Watterich dipl. 1.

3) cf. diploma apud Winterum p. 364.

4) A. B. I, 251, Watt. dpl. 2.

5) A. B. I, 253, Watt. dpl. 3.

Olivensis Prussiae creatus est episcopus;[1]) quem omnibus modis papas adiuvasse consentaneum est et multis confirmatur documentis.[2])

Sed ut ante duo saecula ita tunc quoque quietis fidei praedicationibus diuturnus non erat successus itaque, sicut nuper in Livonia factum erat, novam amplexi sunt antea ignotam conversionis rationem.[3])

Cum enim Christianus Prussiae episcopus et dux Masoviae Conradus seditionibus atque incursionibus Prussorum in periculo versarentur anno 1217 (V. non. mart.) Honorius III. papa, cuius magis semper increvisse studium sacrarum expeditionum literae ostendunt, primum id tantum episcopo permisit, ut ad sacrum bellum Prussicum christianos exhortaretur finitimos et cruce signaret eos, qui nondum in terram sacram se profecturos vovissent.[4])

Deinde (XVI Kal. mai.)[5]) Gnesnensi archiepiscopo imperium sacri exercitus dedit papa simulque et eos crucesignatos in Prussia bellum gerere iussit qui, quamvis in terram sacram se venturos promisissent, tamen corporum infirmitate rerumque inopia, quominus quod vellent perficerent, impediti essent; in quibus et ipse erat archiepiscopus.

Omnes vero cum exercitu baptizatorum ingredi terram invito episcopo Christiano acerrime vetiti sunt, ne quid mali praeter necessitatem neophyti paterentur. Insequenti tum anno 1218 id, quod antea Polonicis permiserat crucesignatis, Coloniensibus et Salisburgensibus imperavit, ut, si vota terrae sanctae intrandae solvere non valerent, christianos a Prussis

1) cf. excurs. III.

2) A. B. I, 259, II, 270; 272; C. d. P. I, 7; 15; 11; cet.

3) cf. Ewald p. 15 sqq.

4) A. B. I, 262. Watt. dpl. 5.

5) C. d. P. I, 1; Theiner, Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae, Romae 1860, I. 4 p. 2 „XVI Kal. martii“ ron recte mihi legere videtur, (De aliis Theineri erroribus cf. Rethwisch p. 37 et 58) cum plus iam rebus Prussicis concedat diploma.

defenderent »acturi secundum consilium eorundem episcopi«[1]. Christiano igitur tunc imperium crucesignatorum traditum fuisse videtur; quod etiam duae epistulae eodem anno 1218 aut insequenti episcopo et crucesignatis scriptae certius confirmant et similibus verbis quibus antea Gnesnensi archiepiscopo datum erat.[2] Sed nescio an hoc non tam ob solam archiepiscopi debilitatem[3]) factum sit, quam quod Christianus rerum Prussicarum esset peritior[4]) aut papis facilior; nam novam dioecesim Prussicam a Polonorum archiepiscopis plane liberam et soli Romae subiectam servari, et consuetae paparum arti politicae ecclesiasticaeque et Prussorum studiis consentaneum fuisse videtur.

Severitatem vero a Prussis defendit papa, quia prohibere voluit »ne.. illi timentes subici servituti in sui erroris pertinacia fortius obstinarentur«, neve quid fieret, »per quod posset paganorum conversio prepediri vel deteriorari condicio conversorum.«

Quod idem spectasse papam, (inter multas quae minoris sunt momenti reliquas) et ea inprimis docet epistula, quam a. 1220 evulgavit[5]): »Nos firmum habemus propositum tam conversos quam etiam favente domino convertendos in omni libertate fovere et ab incursibus omnium molestiis eisdem inferentium vel gravamen, quantum gratia divina permittet, protectionis apostolice munimine defensare et quod eos, quantum in nobis est, nunquam alicuius gravari dominio vel iugo patiemur subiici servitutis.«

Sed, quae superioribus iam bullis significari videtur, brevi manifesta rerum facta est mutatio. Nam anno 1225

1) C. d. P. I, 3 cf. Theiner I, 27. 26, 41 p. 13 et 20.

2) A. B. I, 265, Watt. dpl. 7 — C. d. P. I, 6, Watt. dpl. 8a, Theiner I, 14, p. 6. cf. exc. V. de tempore quo datae sint hae bullae.

3) C. d. P. I, 1 et 13, Theiner I, 20 p. 10.

4) »cui dominus in his est hactenus mirabiliter prosperatus.«

5) Watt. dpl. 9.

Honorius III papa Livis Prussisque misit literas, quibus »pro peculiari populo sibi eos proposuit retinere... et sub sua protectione suscepit,« atque constitutionem addidit »ut in libertate sua manentes nulli alii essent quam soli Christo... et oboedientie ecclesie Romane subiecti.« [1]) Sub Romanam ergo protectionem dicionemque etiam Prussia subiuncta est, sed res publicae privataeque liberae et ad tempus immutatae manebant. Quam Prussiae »protectionem et constitutionem« et qui Honorio III successit Gregorius IX papa ratam habuit;[2]) qui eadem atque Honorius erga gentes mare Balticum accolentes utebatur arte politica.

Eadem vero ratione, qua Prussis conversionem papae reddidere faciliorem, auxerunt quoque Christiano episcopo auctoritatem, cuius rei multa exstant documenta. [3])

Pontifices igitur Romani in Prussia aliqua imperii dominiique fundamenta iurisque subsidia sibi ipsi comparaverant atque magistratus constituerant, qui suam gererent potestatem: Quomodo quod vellent perficere et ad finem perducere possent papae, ex temporum rerumque pendebat explicatione.

Papali prorsus aequum diplomati a. 1225 edito et idem imperium orbis terrarum affectans vindicansque et aliud exstat instrumentum, quod a. iam 1224 Fridericus II dederat imperator. [4]) Itaque imperator et papa, sed pro sua quisque parte, gentibus Balticis libertatem protectione tutati sunt, ne deos patrum derelinquentes cum nova fide servitutem amplecti vererentur. Atque id idem pro se quisque spectabat, ut recentibus sui dominii populis conversionem redderet faciliorem, augeretque sibi imperium. Nam »nonnisi sa-

1) Cod. d. P. I, 16. cf. Waitz 1766 sq. et Voigt III, 574. De Livonia vero iam a. 1210 accuratius constitutum erat.

2) Livländ. Urkundenbuch I, p. 116.

3) cf. supra II, §. 2; A. B. I, 264, Watt. dpl. 8 b., C. d. P. I, 14 cet.

4) Huillard Bréholles hist. dpl. Fridr. II. II, 1, p. 423.

crosancte matri Ecclesie ac Romano imperio, quemadmodum alios liberos homines imperii teneri« eos Fridericus II iussit imperator, omnesque vetuit, reges, duces, principes, alios onera eis imponere.

Neque tamen inter se pugnant imperatoris papaeque constitutiones, cum ex eodem divini iuris fundamento officia sua unusquisque et auctoritatem deducat[1]), esti suum quisque arbitrium sequatur nec respiciat alterum; id quod in theocratia medii aevi saepissime factum est.

Quaerentibus nobis, quam dicant libertatem domini terrarum papa et imperator, non politicam Prussis confirmatam inveniemus. Nam ex ea, quam de autonomia civitatum et summa rerum potestate homines medio aevo habebant, notione omnes tum terrae gentium etiam liberarum ecclesiae imperioque Romanorum legitime addictae habebantur. A rebus itaque politicis ex usu moreque aevi medii imperator papaque reliquos omnes terrarum principes excludunt atque removent, at sibi ipsi rerum instruendarum tacite excipiunt potestatem et instituendorum magistratuum vicariorum, episcoporum vel principum.

Non ergo politicam, sed socialem et civilem libertatem Prussis concessam atque promissam esse iam eo manifesto intellegi potest, quod eadem illa diplomata Prussiam atque Livoniam complectuntur, quamvis res utriusque terrae publicae longe differant. Quin etiam apertis verbis socialis libertas confirmata est in diplomatis illis et quae secuntur instrumenta quaeque inchoata in illis consilia accuratius singula perficiunt, civilem cum sociali Prussis promissam esse libertatem, ad verisimilitudinem adducunt[2]).

Itaque Prussi »sacrosancte matri ecclesie ac Romano imperio quemadmodum alii liberi homines imperii teneri«[3])

---

1) Sed papa propius, per ecclesiam imperator.

2) cf. infra III, §. 5.

3) Huillard Bréholles l. c.

et »in libertate sua manentes . . . oboedientie ecclesie Romane subiecti«[1]) esse potuere; internoscenda enim est libertas ab autonomia et dicio a iugo.

Politicas igitur et ecclesiasticas sibi papa et imperator reservaverant rerum constitutiones et vicariorum institutiones. Quo ex iure reservato postea ordinem Teutonicum in Prussia constituerunt[2]), cum, quae antea Prussis confirmassent, ipsi ad finem adducere non possent. Nam cum et Fridericus II imperator ultimum videret Romani Germanorum imperii florem et illo ipso tempore studium hominum in bella sacra antea flagrans vehementer iam decrevisset: imperatoris papaeque decreta et imperia saeculi XIII. initio vix iam valuerunt ad novas civitates legitime condendas, quae conservari non potuere, nisi valida in ipsa terra constituta gubernatione.

§. 3.

De Christiani episcopi possessionibus.

Novus Prussiae episcopatus, ut fieri solet, brevi iam multis possessionibus donatus est[3]); atque maiores primas a duobus Prussis conversis et eorum consortibus[4]) donationes a. 1215 accepit[5]), quarum ad huc exstant Innocentii III confirmationes[6]): »terram Lubovie« et »terram de Lausania«.[7])

---

1) C. d. P. I, 16.

2) cf. infra III, §. 1 et 5.

3) C. d. P. I, 7, A. B. I, 273 sqq., cet.

4) »Prussi baptizati« appellantur, principes si fuissent certe papa eos appellasset.

5) »In ius et proprietatem«; dominium non nominatur.

6) A. B. I, 259 et 260 (W. dipl. 4).

7) Lautenburg? quod oppidum haud procul abest a Lubovia! Omnia haec verba sententiam non movent, totam datam esse terram Luboviensem, sed partem »Luboviae«, (et »de Lausania«) quam duo Prussi conversi eorumque socii omnino donare potuerunt »prout ad ipsos de iure spectabat« cf. Rethwischium p. 8.

Sed multo maioris etiam momenti dona a. 1222 data sunt.[1])

Etenim Conradus dux Masoviae partes Culmensis territorii Christiano Prussiae episcopo donavit et ecclesia Masoviensis totius terrae Culmensis iura et bona episcopalia; Christianus invicem crucesignatis concessit potestatem castri Culmen restituendi, in quo et ipse »curiam propriam et conventum qualem voluerit« accipiet.

Praeterea etiam quicunque terrae Culmensis dominus et rerum »quaequae ad dominium Culmensis territorii pertinent — exceptis bonis predictis Christiani —« episcopo Prussiae dimidiam omnium proventuum et »decimam temporalium de parte sua« (excepto duce Silesie H.) ut daret constitutum est. Terra enim Culmensis Conradi ducis imperio addicta[2]) a Prussis recuperata erat; Christianus autem castrum restaurari permittere et iubere potuit, quod neophyti ibi erant et crucesignatorum auxilio opus erat[3]).

»Partem terre Culmensis« Conradum donasse, his ipsis verbis diploma ostendit;[4]) at, qui totius iura territorii traderet, Plocensis episcopus fines enarravit.

Neque etiam rerum summam Christiano delatam esse constat,[5]) cum ipso illo instrumento Lovicensi de alio terrae domino dominioque agatur. Itaque iura episcopalia Culmensis provinciae, non regnum dicioque Prussicis episcopis dono

---

1) A. B. I, 62 et 268 (Watt. dpl. 10), cf. Waitz 1767 sqq. Watterich p. 27 recte mihi legere videtur.

2) Roepell 646.

3) exc. II, C. d. P. I, 1. Watt. dpl. 7, 8 a. cet.

4) Prorsus falso Herrmann p. 6 et 46 sqq. Quin etiam ipse Christianus, se »terram in Colmensi territorio« non ergo totam provinciam habuisse aperte testatus est Watt. dpl. 15, 16, 22a. cf. Ewald p. 44 sqq.

5) Contra falsas (Voigtii I, 452 sq., Herrmanni 47, Watterici 29 Leonis 650 sq.) opiniones cf. Roepell 431, Waitz 1768 sqq., Romanowski 15, Ewald 48 sqq.

data sunt. Sed neque, quae praeter iura episcopalia possessiones in illa regione donatae sunt nimis multas magnasque fuisse putandum est, cum totius minime constet fides diplomatis.[1]) Revera autem tunc temporis ad Prussicam dioecesim a Masoviensi translatam esse terram Culmensem nonnullasque donatas esse ex ducalibus eiusdem terrae possessionibus, quas instrumentum Lovicense exhibet: papalibus efficitur confirmationibus[2]) et multis diplomatis posterioribus[3]).

Cur vero episcopus Masoviensis tantas Christiano dederit donationes, si quaerimus, hae praecipuae nobis caussae occurrunt, spem Plocensi ecclesiae fuisse maximam, crescente episcopatu Prussico et paganos facilius posse converti itaque Masoviam ab incursionibus eorum magis liberatam fore. Praeterea situ et gente et toto rerum statu reliquis Prussorum regionibus neobaptizatis et semiconversis proxima erat terra Culmensis.

Episcopum ut quod vellet consequeretur Conradus dux adiuvit,[4]) cui et ipsi incrementum Prussicae dioecesis et successus Prussorumque conversio maxime essent exoptata.

His ergo rerum condicionibus ordo Teutonicus in Prussiam advocatus est: Christianus Prussiae et terrae Culmensis erat episcopus et possessiones iuraque sibi comparaverat et magna nec tamen tuta; Prussia autem sub protectione dicioneque ecclesiae imperiique Romanorum habebatur, sed terra Culmensis provincia erat regni Masoviensis.

Sed non solum regiones neophytorum postea incursionibus paganorum recuperabantur vel etiam ducatus Masoviensis, ita ut servari tutarique non possent, nisi auxilio a potenti illo ordine Teutonico petito[5]).

---

1) cf. exc. VI, de aliis Christiani possessionibus cf. Ewald 54 sq., Rethwisch 23 sq.

2) A. B. I, 270 et 272.

3) cf. III, §. 3.

4) Hanc rerum consequentiam bulla papalis A. B. I, 270 exhibet.

5) A. B. I, 420 cf. Ewald 55 sqq.

III.

De ordine Teutonico in Prussia constituto.

§. 1.

De ordine Teutonico in Prussiam advocato. — De imperatoria condendae civitatis auctoritate.

Polonorum Prussorumque populi gente ac religione dissimiles et contrarii, ut pacate viverent finitimi, nullo modo fieri potuit; Neque tamen, ut bello decertarent, rerum publicarum permisit imbecillitas: Itaque alternis semper excursionibus fines inter se vexabant, diuturnam expugnationem pacemque assequi neuter valebat.

Sed cum et bellum perpetuum sustineri non posset, neque ullum esset belli discrimen: convertendi conatus politica postulabantur necessitate, ut pace gentium decresceret dissimilitudo.

Cum vero ne conversio illa quidem e sententia procederet, utramque simul superiorum conatuum rationem amplexi sacris utebantur expeditionibus.

At crucesignatorum quoque auxilium haud multum profecit [1]). Etenim Prussi impetu crucesignatorum magis etiam quam antea conversionibus exacerbitati terram Culmensem, Masoviam, Cuiaviam invasere, ita ut ex episcopatu Christianus, Conradus e regno fere essent eiecti. Neque ulla erat salutis spes et intestina [2]) quoque Poloniae imminebat pernicies. Novae hic et externae opes utique decernerent necesse erat pacemque redderent.

---

1) Inprimis propterea, puto, quod papae robur militum suorum in terram sanctam, in Prussiam nonnisi reliquam manum mittebant — id quod omnia diplomata docent.

2) Roepell 424 sq., 447 sqq.

Atque de auxilio, quod finitimo Hungarorum regi tulerant equites Teutonici, quin Conradus dux certior factus fuerit, vix dubium esse potest[1]). Itaque rerum comparatione, ut et sui periculi defensorem ordinem Teutonicum agnosceret, non adduci non poterat, praesertim cum illo ipso tempore (a. 1225) Burzae defensionem possessionemque ordo amisisset.

Qua de caussa »cum succurrentem alium habere nequiret (Conradus) sanissimo usus consilio . . . . fratres de domo Teutonica . . . advocavit . . ut evaderet maius malum«[2]). Quod sub finem anni 1225 factum esse videtur, nam insequentis anni 1226 mense Martio Fridericus II imperator iam rempublicam in Prussia constituendam ordini Teutonico imperatoria sanxit auctoritate[3]). Etenim ex una parte imperatori, qui tum cum papa bellum gereret[4]), permagni erat momenti, Hermannum de Salza erga se gratum manere, cui iam multa deberet beneficia[5]), cuiusque amicitia magnam futuri adiumenti spem afferret[6]); paeterea Fridericus in maxima rerum Italicarum perturbatione Germanicas magis spectasse videtur[7]).

Ex alia vero parte magistro ordinis imperatoris opus erat auxilio. Mira enim analogia quae rebus Polonicis,

1) Roepell 405 sq., Rethwisch 27.

2) Hoc diploma gravissimum A. B. I, 420 adhuc non satis magni aestimatum mihi esse videtur. Verba illa »sanissimo usus consilio« Rethwisch p. 28 de aliorum suasione, non de Conradi ipsius deliberatione dicta esse falso statuit.

3) Watt. dpl. 11; Huillard Brèholles II, 1, p. 449 cf. exc. VII.

4) Winkelmann, Gesch. Kaiser Friedrich II. Berl. 1863 p. 190 sqq. cf. von Stramberg p. 199.

5) cf. Winkelm. 339 sqq. 242 sqq, Schirrmacher, Geschichte Friedrich II. I, 135 sqq., Leo 197 cet.

6) Winkelm. 208 sqq. docet, hanc spem non esse frustratam.

7) ex Livonicis rebus tum gestis Prussicisque iudicanti cf. v. Schloezer p. 126 sqq., Rethwisch p. 30.

Culmensibus, Prussicis cum Hungaricis, Burzensibus, Cumanicis intercesserat — qua et ipsa rerum similitudine commotus Conradus ordinem advocasse videtur — neque Hermannum de Salza effugere potuit. Nihilominus autem cum prospera neque de terra sancta, neque de Burza exspectari possent, promissa illa terra Culmensis ordini utique erat tenenda: Experientia igitur et usu rerum Burzicarum adductus, quominus iterum a paganis dicioni suae subiciendis ullo modo repelli posset, Hermannus imperatoria auctoritate prohibere et summam ipse rerum potestatem in terra sua futura adipisci voluisse videtur.

Quam auctoritatem eo libentius amico promisit ac praebuit imperator, quo magis, quod ille vellet, et ipsius conveniret studiis atque superioribus, quas equitibus Teutonicis Prussisque iam dedisset, constitutionibus conveniret vel facile accommodari posset ipsarum constitutionum comprehensione et coniunctione. Nam et a. 1221 ordinis Teutonici possessiones praesentes atque futuras sub specialem suam defensionem[1]) et a. 1224 Prussiam sub imperii protectionem dicionemque susceperat[2]).

Quid Conradus dux promiserit, non nisi ex ipsa hac bulla Friderici II. cognoscere possumus, quae neque ipsa suspitionem excitat, imperatorem plus licito promissiones illas auxisse — siquidem, quae Conradus postea demum donaturus sit, antea iam confirmat imperator — et posterioribus Conradi ducis instrumentis prorsus respondet.

Habebat tum ordo Teutonicus, quaecumque ab imperatore accipere potuit. Nam concessae atque confirmatae ei erant promissae et omnes futurae Conradi donationes; concessa Prussiae — id quod Conradi maxime intererat[3]) — invadendae et conquirendae auctoritas »velut vetus

1) I, §. 1.

2) II, §. 2.

3) Nam »ad . . terrarum subsidium et ad oppressorum sublevamen, ad constringendum Prutenorum impetum ordinem advocavit«

et debitum ius imperii«; addicta insuper erat ordini in omnibus his terris suis iurisdictio et potestas regia[1]).

Atque hanc rerum summam ut in Prussia ita in Culmensi quoque territorio Fridericus II. ordini iuste ac legitime dare potuit, siquidem, quod ipse iuris ibi haberet, Conradus ordini tradidit. Conradum quoque et ipsum hanc rerum Prussicarum et Culmensium summam ordini clarius, quam ex promissionibus eius, quas imperatoria bulla exhibet, cognoscitur, et apertius postea ordini concessisse, permulta docent instrumenta[2]).

Quae cum ita sint, omnibus perspicuum erit, — quod etiam imperator et papa magistrum ordinis principali dignitate ornantes illo tempore sanxisse videntur — Hermannum manifesto consilio in Prussia propriam sui ordinis civitatem condere voluisse. Neque minus consentaneum est, equitibus Teutonicis, qui ab imperatore omnia, quae velle possent,

---

»cum Culmensis iam terra finale exitium esset passa ab incursibus Prutenorum et iam Masovia et Cuiavia et coeterae terrae adiacentes terre Prussie ab eorundem Prutenorum tyrannide inciperent desolari, ipsis iam pro parte maxima demolitis seu devastatis, cum succurrentem alium habere nequiret . . . ut evaderet maius malum« A. B. I, 420. »Ut laborem assumerent et insisterent opportune ad ingrediendam et obtinendam terram Prussie ad honorem et gloriam veri dei«. Watt. dpl. 11. II. Bréh. II, 1, p. 449 cf. dipl. Crusvicense A. B. I, 66, Watt. 20, Theiner I, 40 p. 19.

1) Nescio an falso de sola Prussia hanc constitutionem datam esse interpretatus sit Rethwisch p. 30 sq. et rectius Voigt II, 166. »Tota« enim »acquisita et acquirenda« dicitur terra; summam rerum accipit ordo »in terris suis« (plur.) — Rethwisch p. 31 restrictionem e suo ingenio addidit — at antea de Prussia dictum erat »terra quam in Prussia conquiret« (singul,). Omnem vero mihi removent dubitationem verba antecedentia »quas (immunitates, libertates, alias concessiones) de dono terre ducis prefati et de Prussie conquisitione petebat«; quae minime recte Rethwisch (p. 30 adn. 5) intellegit et exemplo falso intellecto confirmare conatur. cf. supra III, §. 4.

2) cf. III, §. 3.

iam impetrassent, deinde nihil iam aliud nisi id curandum fuisse, ut et reliquas, de quibus iam diximus, cum papa, duce, ceteris pactiones inirent condicionesque[1]).

§. 2.

De Dobrinensi equitum ordine.

De nulla re, qui antiquissimam scripsere Prussiae historiam, magis dissentiunt, quam de initiis equitum Dobrinensium[2]).

Sed in eo omnes consentiunt, novum conditum esse ordinem Dobrinensium, non partem fuisse Gladiferorum, ut omnia fabulantur chronica, Livonicorum, cum quibus nomen quidem Dobrinensibus convenerat »fratrum militiae Christi.«

Quod tempus attinet, quo institutus sit ordo, chronica omnia enarrant, equites Teutonicos advocatos esse, quia ordo Dobrinensis antea iam conditus Prussorum inpetum sustinere non valuisset[3]); Diplomata de Dobrinensibus servata sunt antiquissima anni 1228[4]), quo firmae iam cum Teutonicis conficiebantur pactiones[5]). Itaque Voigt atque Roepell et Romanowski ante annum 1226 institutum ordinem militae Christi putant a Conrado duce Christianoque episcopo.

---

1) Papam iam a. 1226 (Voigt II, 177 sq. Dusburgii errorem sequitur) de Hermanni consiliis propositisque et certiorem neque ab eis alienum fuisse equidem non negem. (Aliter sine caussa Rethwisch p. 32, cui repugnat p. 31). At solemnis et imperatoriae analoga confirmatio reipublicae Teutonicorum papalis postea demum data est. III, §. 5.

2) Voigt I, 460 sqq., II, 164, III, 575, Herrmann 18 sqq., Roepell 432 sqq., Watterich 58 sqq., 218 sqq., Romanowski 17 sqq., Waitz 1791 sq., Leo 667 sqq., Ewald 58 sq., Rethwisch 35 sqq., 52 sqq.

3) Chronicon Olivense S. r. P. I, 676. Dusburgius I, 35 cet.

4) C. d. P. I, 19, A. B. I, 396, C. d. P. I, 20 (Watt. dpl. 14) C. d. P. I, 21 (Theiner I, p. 17) cf. exc. IX et X.

5) cf. III, §. 3.

Quae Herrmann, Watterich, Leo ex alia parte dicunt de condicionibus Dobrinensium, non nisi ex ea auctoritate secuntur, quam Christiano episcopo »Prussiae domino« tribuerant. Quare cum Wattericum Waitz recte refellisset, et aliorum utriusque opiniones falsas esse constat. Chronologicam vero difficultatem Watterich Leoque evitaverant illi quidem, cum contra ordinem Teutonicum a Conrado duce advocatum Dobrinenses a Christiano episcopo instructos esse vellent; nam si recte illam »Prussiae et Masoviae dominorum« simultatem statuissent, uno eodemque tempore (a. 1228) et Teutonici advocari vel donari et Dobrinenses institui potuissent. Sed nihilominus, ut, quae ex falsa coniectura sumpta sint, a rebus certissime testatis abhorreant, necesse est[1]; atque id unum, quod in Masovia constituti sunt Dobrinenses, opiniones illorum prorsus iam refutare videtur. Sed neque, qui illorum principem refutavit, Waitz neque post eum Ewald de initiis Dobrinensium, quid sentirent, argumentis firmaverunt.

Anno 1228 milites Christi esse instructi, ut Watterico, Leoni, Ewaldo, ita etiam Toeppenio videntur[2]), quod nec diplomata interpretanti chronicorum narrationes respiciendae sint, et Conradi Guntherique donationibus[3]) donatus simulque institutus sit ordo Dobrinensium anno 1238, quo ipso anno papa eum confirmaverit[4]).

Atqui primum instrumenta illa, quibus ordinem conditum esse dicit, a Conrado Guntheroque data sunt, at papa solum Christianum exhibet ordinis conditorem, cuius

---

1) cf. Watterich p. 55 sq. et dipl. 13; p. 37 sqq., 59, 61, 62, 218 sqq. Vel etiam ipse W. concedit »Die Wankelmüthigkeit des Herzogs dem Dobriner Orden gegenüber ist allerdings sehr gross.«!

2) Geschichte der preussischen Historiographie. Berlin 1853 p. 275 sqq. et Scr. r. P. I, 35.

3) A. B. I, 396, C. d. P. I, 19.

4) C. d. P. I, 20.

nulla illius temporis exstat donatio, sin est deperdita, etiam ante annum 1228 donata ordini fuisse potest[1]).

Deinde si rerum intuemur naturam, ille nobis probabilior esse videtur, quem Voigt profert, rerum cursus eventorumque consequentia; quae tenenda sunt, si certis historiae documentis conveniunt. Tum vero ne Dusburgii quidem, ut fatris Teutonici spernenda fides videtur in ea re, quae ordinis Teutonici in Prussiam advocandi caussa fuerit, cuius memoriam in sermonibus equitum et mentibus nescio an haeserit: infirmitatem dico Dobrinensium.

Rethwisch eodem atque Toeppen anno 1228 fratres militiae Christi ordinatos esse putat, quod ante illud tempus nullum de fratribus exstaret diploma. Non ergo animadvertit, fieri posse ut nonnulla nobis non servata sint instrumenta, nec rerum respicit contextum probabilitatemque. Praeterea nec quae singula affert probari possunt.

Nam quod chronica tradunt iam a. 1226 Teutonicos quosdam in Prussiam advenisse, Nessoviae habitasse, nonnullos annos contra Prussos pugnasse, valde mihi quidem probabilis narratio. Diplomata enim nulla exstant ei repugnantia, immo eadem Friderici II instrumentum significare videtur de imminente ordinis impetu cogitantis[2]). Atque chronicon Olivense, vetustissimum Prussiae chronicon, et Dusburgius, frater Teutonicus, annum, quo ordo Teutonicus in Prussiam venisset si omnino quidquam cognitum habere potuisse videntur[3]).

---

1) cf. Voigt III, 576 et Waitz 1792. Quam Watterich p. 60 profert donationem A. B. I, 414 »a Christiano ante illa ducis et episcopi Masoviensium diplomata Dobrinensibus a. 1228 traditam« non a. 1228 sed a. 1230 confirmata est! Reliqua Watterici argumenta, quibus Voigtio repugnat, a falso initio profecta etiam singula facile possunt refutari.

2) cf. exc. XV.

3) Vel etiam Dusburgium, siquidem diplomatis, non nisi ut amplificaret narrationem, secundo loco in chronico suo utebatur, in

Quod per 53 annos gestum et anno 1283 finitum bellum Prussicum esse chronica narrant[1]), sententiae nostrae minime repugnat. Nam aut primos, qui vero iustoque bello Prussico autecederent, annos 1226—1230 ut belli prolusionem neglexit chronicorum scriptor[2]), aut annos pacatos 1256—1260 non duxit in illa ratione. Inter annum enim 1226 et 1283 plus 53 annis interesse et ipsum, qui hos tres annorum numeros singulos exhibet, Dusburgium sensisse arbitror. Sin revera numeri discreparent inter se dubitarem ego quidem, utrum »1226« an »53«[3]) mihi certior numerus constaret, ex quo alterum corrigerem. De chronici Olivensis »errore« iusto subtilius Rethwisch mihi disserere videtur confisus, neque ante annum 1230 ordinem Teutonicum in Prussiam advenisse[4]), neque ante donationum diplomata anni 1228 ordinem Dobrinensem conditum esse potuisse: quae erant demonstranda Rethwischio. Quin etiam in diplomatis anni 1228[5]) »fratres militiae Christi« iam »fratres de Dobrin« appellantur, quam ergo possessionem per aliquot tempus iam habuisse videntur.

Quod vero Gregorius IX papa a. 1228 ordinem Dobrinensem confirmavit, cum confirmati ordinis conveniret, quam illi opinantur, novae institutioni, tum confirmantis papae convenit, quae inter omnes constat, electioni recenti.

Historiae igitur documenta ipsa de anno, quo constitutus sit ordo Dobrinensis, nihil certi indubitatique exhibent.

---

illo, quod unum ei notum est, Conradi ducis instrumento annum »1230« in »1226« (cf. exc. VIII) propterea mutasse arbitror, quod ei annum, quo ordo advenit, 1226 certius notum erat et Conradus donationem nimirum statim advenientibus dedisset.

1) Toeppen, Historiographie 270 sqq. cf. infra exc. XV.

2) cf. ipse Rethwisch p. 38; Nessovia in sinistra Vistulae ripa sita est.

3) 53, 58; LIII, LVIII.

4) cf. exc. XV.

5) quae spuria Rethwisch quidem esse comprobavit cf. exc. IX et X.

Quis vero ordinem condiderit et quid secutus sit conditor, quaerentibus nobis bulla Gregorii IX ordinem confirmans Christianum episcopum fratres ordinasse dicit; Conradum vero ducem constat ordini sedem donasse Dobrinense territorium in Masovia situm: Utroque ergo consentiente ordo instructus sit, necesse est. Papa antem solum episcopum nominavit, qui fratres consecrasse videtur [1]).

Quin Dobrinenses, ut contra Prussos pugnarent, instructi fuerint, nemo est, qui dubitare possit. Quae Dusburgius, cui Voigt et Rethwisch secuntur, de distributione terrae expugnatae scripsit, vere narrata esse possunt.

In Masovia ergo sub potestate Conradi ducis, auctoris et domini, Dobrinenses constituti sunt [2]), a Christiano ut episcopo ecclesiastice consecrati, a papa confirmati, a Gunthero ut episcopo postea cum Teutonicis ecclesiastice congregati [3]). Praeterea episcopi quoque Christianus et Guntherus ordinem bonis donavere, quorum dioeceses maxime a Prussis depopulabantur. Atque etiam Christianus, quod Culmensem terram attinet, Polonorum illo tempore episcopus et Conradi ducis imperio subiectus eodem modo atque Masoviensis et Cuiaviensis episcopi habendus est.

Hinc ergo rerum naturae et probabilitati convenit, ordinem Dobrinensem tum institutum non esse neque quemquam de novo ordine condendo omnino cogitare potuisse, cum equites Teutonici in Prussia iam aderant. At papa Dobrinenses antea iam institutos et consecratos haud scio an confirmaverit a. 1228, ut Teutonicos aliqua vi premeret itaque Hermannum de Salza a partibus Friderici revocaret [4]). De altera autem ratione, qua papalem ordinis ante aliquot

---

1) cf. exc. X.

2) »hereditarie possidendum« territorium tenebant; cf. Rethwisch quoque p. 37.

3) C. d. P. I, 43.

4) cf. Winkelmann 212, 278 sqq.

annos iam conditi confirmationem a. 1228 demum evulgari potuisse intellegitur, supra iam diximus, Gregorium IX ut novum papam sanxisse tantum, quod Honorius III iam confirmasset [1]).

Hinc vero si obstent nonnulla diplomata, quominus ordinem Dobrinensium ante Teutonicos a. 1226 in Prussiam advocatos iam conditum fuisse putemus, quamvis et veri similis haec rerum consequentia et chronicorum in his rebus fides respicienda videatur: nulla historiae documenta obsunt sententiae et coniecturae, quae inter duas illas contrarias in medio posita itaque per se minus probabilis est: fratres Dobrinenses, cum post primas actiones Teutonici revera nihil initio iam Conradum adiuvissent, anno 1226 esse institutas vel potius institutionem fratrum esse praeparatam [2]).

Qui simili ratione de his rebus scripserunt, Toeppen et Rethwisch, minime distinxerunt inter consilium ordinis condendi et ipsam condicionem et utrumque simul in anno 1228 posuerunt. At cum Teutonici in Prussia iam pactiones inirent, novae equitum institutionis consilium oriri non potuisse arbitror; nam utrumque simul ordinem Conradum ducem instruxisse, ut alter vim alterius reprimeret prorsus abhorret et a condicionibus rerum et coniunctione eorundem ordinum, quae a. 1235 facta est.

Inter annos igitur 1226 et 1228 institutio novi ordinis cogitata et praeparata est, ita ut eodem fortuitu anno 1228 cum Teutonici revera in Prussiam advenirent, simul Dobrinenses quoque reapse ordinarentur.

---

1) cf. II, §. 2.

2) Quibus de caussis Hermannus de Salza initio cunctatus sit, docent Voigt II, 162 sqq. et Rethwisch p. 33. Verum tamen ipsum Friderici II. diploma anni 1226 ostendit rebus magistrum ordinis, non voluntate esse impeditum, quominus statim in Prussiam ingrederetur. Dobrinense autem territorium fratribus militiae Christi eam ob rem permisisse videtur Conradus, quod terra Culmensis aut plane iam amissa aut Teutonicis iam donata erat vel (cf. exc. IX) promissa.

Omnibus vero, qui has res non plane haberent compertas, illa, quam chronica exhibent, consequentia rerum probabilis vel etiam sola rerum rationibus consentiens videri potuerit.

Iam si brevi complectamur, quae disceptatione assecuti simus, in hunc modum dicemus:

Voigt, deinde Roepell et Romanowski, tum Waitz ordinem Dobrinensem ante Teutonicos a. 1226 advocatos instructum esse putant: neque tamen diplomata anni 1228 Dobrinensia facile explicare possunt.

Quibus vero cum Herrmanno res convenit, Watterich et Leo, ipso a. 1228 Christianum novum ordinem condidisse opinantur; sed ad falsas condicionum politicarum opiniones omnia retulerant.

Atque Toeppen et Rethwisch opinionibus illorum dissident, anno consistunt: haec vero sententia per se minime vero similis est.

Sed si inter annos 1226 et 1228 Dobrinenses instructos esse iudicamus: et temporum effugere conamur difficultatem et rerum assequi probabilitatem.

Ambigua autem et obscura adhuc manent monumenta Dobrinensia. Neque finitimarum exempla terrarum, quis ordo in Prussia primus fuerit, significant, cum in Livonia novus ordo, Teutonicus in Hungaria iam antea constituti essent.

Aut chronicorum ergo narratio sequenda nobis est propter magnam rerum verisimilitudinem — ita ut papalia anni 1228 instrumenta a novo papa renovata esse, sive data, ut Hermanni de Salza animus inflecteretur, iudicemus; Conradi vero aliorumque donationes tunc esse donatas, ut Dobrinenses quoque simul cum Teutonicis contra Prussos rursus accenderentur, sive donatarum iam esse instaurationes [1]) et amplificationes.

1) Voigt III, 576 cui Watterich 218 sqq. haud bene contradicit.

Aut chronicis contemptis sola anni 1228 diplomata respicienda nobis sunt — ita ut Dobrinenses instructos putemus, cum non statim auxilium Masoviae ferrent Teutonici; si vero omnem auxilii Teutonicorum spem iam abiecerit Conradus, postea tamen propter infirmitatem Dobrinensium iterum subsidium Teutonicorum citius petiisse videtur: quod chronica cum priore auxilii Teutonicorum petitione confuderint vel memoriae falsam coniecturam prodiderunt.

At ex contrariis consiliis hos ordines in Prussia constitutos esse — quae opinio multas aufert difficultates — rerum Prussicarum statui minime convenit. Nam Conradus dux Masoviae eiusque episcopi Guntherus et Christianus cum Dobrinenses condiderunt et magnis donis donaverunt, tum Teutonicos arcessiverunt et maximis beneficiis donationibusque auxerunt atque non multis annis post (1235) ordo Dobrinensis cum firmiore Teutonicorum ordine congregatus est[1]).

§. 3.

De initiis rerum ordinis Teutonici Prussicarum. — De donationibus et concessionibus ducis episcoporumque. De tacitis papae assensionibus.

Quae servata sunt pactionis Lovicensis (anni 1222) exempla haec exhibere verba videntur: »Quicumque terram Culmensem habuerit et quicquid ad dominium Culmensis territorii pertinet — exceptis bonis predictis Christiani — omnes proventus ipsius terre cum episcopo Prussie dimidiabit. Insuper decimam temporalium de parte sua episcopo Prussie dabit.«[2])

Itaque cum ordo Teutonicus in Prussiam veniret[3])

---

1) C. d. P. I, 43.

2) Watterich dpl. 10 cf. supra II, §. 3. Ratane haec omnia habenda sint nescimus et certe »proventuum dimidiandorum« nunquam postea mentio facta est.

3) cf. Watt. dpl. 13; et exc. XV.

anno 1228 Conradus dux — quod promiserat a. 1226 et imperator iam confirmaverat — iuste et legitime donare potuit: »terram Colmen cum omnibus attinentiis suis tam in aquis quam in agris et nemoribus nihil utilitatis nobis reservantes vel in futurum sperantes [1]).«

Etenim quas revera a. 1222 iam proprias Conradi principis possessiones acceperat Christianus, eae a. 1228 »exceptae« neque amplius »ex terre Culmensis attinentiis« erant, etiamsi expressis verbis id non dictum est.

Eodemque modo neque terrae Culmensis dominium commemorat diploma ducis neque de auxilio Teutonicorum mentionem diserte facit. Atque de hi snihil dictum esse, et rebus et tempori consentaneum est. Nam bellum Prussicum ipsius ordinis legibus et advocatione ac terrae Culmensis donatione et defensione fratribus erat necessarium; de dominio autem diploma imperatoris et papalis illa Teutonicorum constitutio iam decrevisse nescio an visa sint.

Verumenimvero Conradi quoque instrumentum Culmense territorium locutionibus amplis ordini donat, ita ut ius dominii non datum esse non videamus; definitis contra et accuratis descriptionibus pagus ille Cuiaviensis traditur cum iure »proprietatis et possessionis.«

Quamquam auctoritate huius diplomatis confisi etiam tum et Conradus et Teutonici dominium Culmensis terrae sibi utrique attribuere et adiudicare potuerunt quippe quod per se et de iure ipsorum esset: Res venturae — quod plerumque fit in rebus nascentibus — cum desideriis, discriminibus, usu etiam interpretationes, constitutiones, conditiones reddiderunt manifestiora ac firmiora.

---

1) A. B. I, 394, W. dpl. 12. cf. exc. XI. Addidit Conradus »villam Orlov nuncupatam in Cuyavia iacentem in perpetuam proprietatem integraliter possidendam«. Hoc vel alia oppida esse promissam illam »aliam terram«, quam bulla Friderici imperatoris a. 1226 exhibet, (cf. Romanowski p. 37, Toeppen Scr. r. P. I, 47) equidem non puto.

Sed etiamsi Conradus dux, id quod nullam affirmat documentum, dominium Teutonicorum affectaverit, tamen apertum est, ordinem Teutonicum, quamvis duci subiectum, totius fuisse Culmensis terrae dominum, ordinique Christianum et reliquos habitatores illius provinciae vel bonorum possessores rursus fuisse dediticios [1]).

Ut in rebus ecclesiasticis a. 1222 episcopi Masoviensis beneficia in Christianum collata Conradus suis amplificavit donationibus, sic in rebus politicis ducis largitiones in Teutonicos translatas suis beneficiis episcopi auxerunt: cum duce ergo Teutonici primo loco paciscuntur.

Atque Christianus quidem Prussiae episcopus erat, qui sive iure episcopali sive manifesta fortasse pactionis Lovicensis constitutione decumis etiam terrae Culmensis frueretur; Atqui ordo Teutonicus, qui cum terra Culmensi bona quoque Conradi ducis Culmensia acceperat [2]), lege papali non una cum reliquis tributa ecclesiastica pendebat: Itaque Christianus eodem a. 1228 »contulit militibus de domo Teutonica pro defensione christianitatis decimam in territorio Culmensi in eis bonis, que dux Conradus Masovie et Cuyavie predictis militibus salvo iure episcopi licite conferre potuit [3]).«

Bona autem propria in territorio Culmensi sita, non ipsa terra Culmensis, nominanda erant Christiano, cum re-

---

1) Perperam Romanowski p. 37; ne rex quidem omnia totius regni bona ipse possidet.

2) Watt. dpl. 10: »quicquid ad dominium Culmensis territorii pertinet (exceptis bonis Christiani)«; dipl. 12: »omnia attinentia terre Culmensis«; dipl. 13: »bona in territorio Culmensi, que Conradus ordini contulit«.

3) A. B. I, 395 Watt. dpl. 13; Waitz p. 1774 recte eis rescripsit, quae Watterico (et antea nimirum Herrmanno p. 28 posteaque Leoni p. 664 sqq.) ex verbis illis »salvo iure nostro« secuta sunt. Atque permultae exstant, quae idem valent locutiones: Watt. dpl. 4, 22b, C. d. P. I. 45 et prorsus respondent illa verba sanctioni anni 1222 (W. dpl. 10): »exceptis bonis Christiani«.

rum privatarum decumae solverentur, non terrae subiectae neque rerum publicarum.

Praeter decumas etiam multa alia Christianus postea Teutonicis beneficia dedit, omnisque conversio episcopalis, cum ordo advenisset, nullius fere posthac erat momenti [1]).

Interea enim, sacra expeditione Friderici II confecta, Hermannus de Salza mense Iunio a. 1229 in Italiam egressus [2]) maiorem iam equitum numerum in Prussiam misisse videtur [3]), ita ut dehinc una cum bello Prussico etiam res ordinis politicae celerius conformarentur et adolescerent.

Atque de his rebus duo nunc nobis occurrunt Christiani diplomata, quorum alterum mense Ianuario anni 1230 datum est alterum eodem anno sed mense nullo ascripto [4]).

Quo posteriore Christianus »fratribus de domo Teutonica quicquid habuit dati a duce Conrado vel ab ecclesia Plocensi vel empti libere contulit, ut ipsi episcopo et omnibus eius successoribus sint parati contra paganos pugnaturi. Ipsi fratres vero episcopo in eodem territorio iam supradicto contulerunt de omni aratro unam mensuram tritici et aliam siliginis et CC aratra et quinque hologia unumquodque de quinque aratris cum omni utilitate.«

Alterum primo eiusdem anni mense a duobus abbatibus »mediantibus et pro posse cooperantibus« datum instrumentum eandem »donationem et promissum« exhibet, alias res quae minoris sunt momenti addit, omnia fusius profert.

Summam vero instrumentorum quaerentes Waitz [5]) iam docuit, non tam iniquas esse has condiciones, quam multis [6]) videntur. Sed et ipse Waitz ordinem feudali quo-

---

1) Winter 226, 282 sq.

2) Winkelmann p. 323.

3) cf. exc. XV.

4) A. B. I, 406 et 72. Watt. dipl. 15 et 16.

5) p. 1777 sqq. cf. Rethwisch p. 41.

6) Voigtio II, 199, Hermanno 27 sqq., Watterico, Leoni 669.

dam nexu obligatum esse putabat et diplomata interpretatus nomen tantum fidelitatis evitavit. Attamen tantum abest, ut ordinem in territorio Culmensi clientelae cuiusdam necessitudine episcopo obstrictum esse iudicemus, ut ipsis Teutonicis, non Christiano, terram Culmensem a Conrado duce donatam sciamus. Ac revera comprehensio, quam illi clientelam pronunciare opinantur [1]), pars tantum est alius enuntiationis levioris, dum reliquae omnes promissiones graviores cum verbis »promiserunt quod« vel »quod« incipiunt. Atque illorum si sequimur interpretationem, nullum sensum praebet nostra enuntiatio. Prussia deinde non episcopo vel dominio episcopi subicienda erat ordini, sed »episcopatui« [2]); nam Christianum papae episcopum Prussiae creaverant. Quod tum Christianum »tamquam episcopum et dominum suum recipere« equites promiserunt, id eo spectat, ut »necessaria subministrarent«; nam pecunias haud magnas episcopum Prussiae habuisse, constat [3]). Praeterea illo loco heribannus, proprium feudalitatis officium [4]), non agitur, sed »ubicunque venit ad bona ipsorum« episcopum fratres recipiant. Insuper papalibus ordinis constitutionibus Teutonici ab omni episcoporum potestate excepti erant; si vero »episcopum suum« non proprie interpretandum est, etiam illud »dominum suum« proprie intellegi nequit.

Itaque praeter defensionem bonorum episcopalium et id Teutonici promiserunt, quod episcopum, cum ad ipsos veniret et gratuito et »debito honore« recipere vellent.

Quin etiam equites Teutonici episcopo cum novo terri-

---

1) »ita ut ipsi episcopo . . . .«

2) cf. Romanowski p. 50; Repugnantia haec inter ordinis privilegia et iura episcopalia postea demum composita est cf. III, §, 6.

3) Multae id monent bullae papales; et in ipso abbatum diplomate »propriis expensis« bis equites episcopo quaedam perficere promittunt.

4) Roepell 441.

torio summam quoque rerum potestatem eisdem fere verbis promittunt, quibus ipsi ab imperatore acceperant.

Quaerentibus nunc nobis rationem, qua duo illa diplomata inter se iuncta sint: prius ab abbatibus quibusdam, alterum a Christiano episcopo contrahente datum inveniemus. In aequo igitur poni non possunt, ita ut alterum ordini alterum episcopo traditum sit [1]. Neque quod alii [2] proferunt: longiore abbatum diplomate episcopi bullam explicatam atque illustratam esse probandum videtur, cum et mense Ianuario adscripto et rebus longius instrumentum etiam antiquius sit.

Propterea Waitz longius diploma ipsam pactionem exhibere ab abbatibus conciliatam putabat, brevius instrumentum Christiani officia continere, amissam esse huic respondentem bullam ab ordine episcopo datam. Sed diploma abbatum neque ab ordine neque ab episcopo datum neque subscriptum neque obsignatum est. Atque quae de his rebus postea pactio confecta est [3], Christiani diplomati simillima est nec pusillis et angustis illis monachorum condicionibus convenit.

Conciliaturi ergo abbates diploma illud confecisse, compositiones vero aut ad tempus tantum aut omnino non ratae habitae esse videri possunt. Cui sententiae id optime convenit, quod in ipso etiam abbatum diplomate sola ordinis promissio prima (»ita ut«) ex donationibus Christiani sequi et officium ordinis firmiter promissum significari videtur, reliquae vero omnes promissiones (»insuper promiserunt« et quae sunt generis eiusdem) pactiones eiusmodi, de quibus certum nihil convenit. Accedit autem, quod diploma Christiani — quod opinione Waitzii sola episcopi officia ordini constituat — praeterea firmum quoque illud ordinis officium exhibet atque ex reliquis illis ordinis promissionibus primas

1) Wattericum p. 68 sqq. et 240 sqq, refellit Waitz 1776 sq.

2) Voigt II, 198 sqq., Herrmann p. 32 sq , Romanowski 44 sqq.

3) cf. III, §. 4.

et gravissimas, sed et haec omnia tum maxime iam firma ordinis officia proferuntur.

Itaque post praevias abbatum condiciones mutua contrahentium facilitate, Prussorum vexationibus[1]), necessitate Teutonicorum[2]) ratae confectae sunt pactiones. Quamobrem testes utriusque diplomatis haud ita iidem sunt, neque monachi illi conciliatores nomina subnotavere.

Atque etiam si tertium illud Waitzii diploma exstaret, praeter officia ordinis in diplomate Christiani iam nominata nulla alia continere posset, nisi quae ex illis gravioribus efficerentur. At instrumentum Christiani integra quaedam et solida pactio esse videtur, quae episcopi simul »donationem et promissum« ordinis contineat, neque ullam ulteriorum promissionum moveat suspitionem[3]).

Politicas diploma Christiani non attingit rationes, eaedem ergo ordinem inter et episcopum mansisse videntur, quae antea Christiano cum duce intercesserant, dum Conradus terrae Culmensi imperabat. Sed bona a Christiano ordini data, a Prussis vero ad id tempus occupata donationibus Tentonicorum, quas tunc tutas reddituri erant Teutonici et vectigalibus satis magnis compensata sunt. Atque revera Christiani plus intererat, ut possessiones et iura in terra Culmensi haberet, quam Conradi ducis et Guntheri Plocensis, quippe quibus sufficeret si parte ducatus vel dioecesis Teutonicis et Christiano prorsus tradita reliqua omnia salva fierent ac servarentur.

Sub finem anni 1229 Gregorium IX inter et Fridericum II pacificae iam rationes reddebantur et anno inse-

---

1) cf. initium ipsius diplomatis episcopalis.

2) cf. Voigt II, 202.

3) Rethwisch p. 39 sqq. sententiam Waitzii secutus »pactionem Leslaviensem« a Gregorio IX papa confirmatam esse falso scripsit, nam diploma A. B. I. 414, cuius auctoritate utitur, non Teutonicis sed Dobrinensibus inscriptum est! cf. ipse Rethwisch p. 37 et 53!

quenti Hermanno de Salza quoque auctore pax convenit[1]). Itaque papa et res Prussicas rursus spectare potuit, neque spernenda erat Hermanni conciliatoris auctoritas:

Ergo mense Ianuario anni 1230 epistulam Gregorius misit[2]) »Teutonicis in Germania et Prussia constitutis,« ut ad eripiendam de Prutenorum manibus terram ipsam viriliter procedant: qua ipsa adhortatione rebus Prussicis tacite sed publice praebuit se consentientem.

Atque ordinem exhortatus simul etiam donationem Conradi papa laudavit; haud sane solemniter confirmavit, sed nullum diploma respiciens indefinite omnia comprobavit, quae ad hoc tempus Conradus ordini et iustis instrumentis contulerat et praesente sermone concesserat: »Castrum Colme cum pertinentiis suis et quaedam alia castra in Prutenorum confinio . . . et quicquid de terra illorum per vos aut coadiutores vestros poteritis obtinere[3]).«

Eiusdem anni 1230 duae quoque exstant Conradi ducis donationes[4]), quarum brevior, cui dies vel mensis

---

1) Winkelmann 328 sqq. Schirrmacher II, 22 sqq.

2) A. B. I. 418; C. d. P. I, 23; Watt. dpl. 17: »XV kal. febr.«; Theiner vero I, 38 p. 18 praeter falsam inscriptionem (cf. Rethwisch 42) praebet »II id. Ian« (et I. 39 »II id Sept.«).

3) Rethwisch p. 42 non animadvertisse mihi videtur, in utraque bulla Theiner I (38 et 30) p. 18 dictum esse »castrum Colmen cum pertinentiis suis«; falso Conradi donationem a. 1228 spuriam putat (cf. exc. XI et XV). Atque papa iustam et solemnem non dedit confirmationem, non quod nullum ad id Conradi diploma Hermannus haberet, sed quia confirmatio illa abhorruit a natura epistulae ad bellum Teutonicos adhortaturae. Et omnino non omnia, quae accipiebat, instrumenta a papis sancienda ordo curabat. Nam quae de eisdem rebus omnibus postea data est legitima confirmatio (cf. infra p. 56 A. B. I, 415, W. dpl. 21, Theiner I, 39 p. 18) non ab ordine sed Conrado rogata est: Unam sed omnia complectentem ipse ordo a papis expetivit confirmationem civitatis Teutonicae in Prussia conditae cf. III, §. 5.

4) Von Stramberg p. 203 et Leo p. 668 sqq. tria Conradi instrumenta perperam commemorant.

nullus ascriptus est[1]) ordini contulit »totum ex integro Colmense territorium cum omnibus suis appendentiis;« Terrae fines nominantur tres fluvii, Drewenza, Vistula, Ossa atque auxilium contra paganos ferendum, ordinis remunerationem officiorum, appellat diploma.

Quam ducis »donationem et promissum« ordinis episcopi quoque subscripserunt Cuiaviae, Prussiae, Masoviae.

Aut consuetudo illa antiqua[2]) aut ambiguae anni 1228 constitutiones Conradum impellisse videntur, ut iterum donationem literis mandaret; aut diploma, Christiani, quod et illa bona Culmensia ordini dedit, quae ab a. 1222 episcopi fuerant, ita ut Conradus, quippe qui antea et illas episcopi possessiones habuisset tunc »totum ex integro Culmense territorium« Teutonicis tradere posset.

Quod Conradi diploma ante instrumentum illud mensis Iunii (cf. infra p. 42) datum sit, necesse est, quia postea supervacaneum fuisset.

Atque etiam Guntheri Plocensis, episcopi Masoviensis, diploma[3]) illam Conradi donationem commemorare videtur[4]). Quod enim nomine huic subiecto ratum iam habuit illo aperte confirmavit. Cuius confirmationis caussae eaedem fere inveniuntur, atque novae istius Conradinae donationis. Nam quae a. 1222 Plocensis episcopus Christiano et a. 1230

1) A. B. I, 402, W. dpl. 18, cf. exc. XII »cum omni fidelitate« idem declarat atque »sine dolo«. Romanowski p. 46 falso clientelam intellegit; quae affert exempla, toto coelo differunt a verbis illustrandis, ita ut Romanowskianam refellant interpretationem. Quin etiam mense Iunio ipse Conradus ordinem »bona fide« se adiuturum promittit et ordo invicem Conradum. At Romanowski p. 52 ergo ait Conradus »defensor et patronus« ordini, hic illi »vasallus« auxilium promittit!

2) Waitz 1782, Sickel, Urkundenlehre p. 11.

3) a. 1230. XV kal. apr. A. B. III, 263, C. d. P. I, 105, W. dpl. 19. cf. exc. XIII.

4) cf. Romanowski p. 51, Rethwisch p. 65.

Christianus ordini dedit, Guntherus tunc ordini rursus donavit itaque confirmavit[1]).

Habebant ergo anni 1230 initio Teutonici integram terram Culmensem. Nam primum a. 1228 Conradus »terram Colmen cum omnibus attinentiis suis« ordini donavit; deinde a. 1230 Christianus; quascunque a. 1222 a Conrado et ecclesia Plocensi acceperat, possessiones Culmenses ordini addidit; tum hanc donationem primus illorum bonorum possessor Conradus sanxit iterum »totum ex integro Cholmense territorium inter Vistulam, Ossam, Drewanzam fluvios situm« ordini donans; episcopus denique Masoviae simili modo Christiani donationem, quoad antea ab ecclesia Plocensi donata erat, ordini confirmavit: Itaque mense Iunio a. 1230 ultimam ordo donationem Crusvicensem accepit a duce[2]), qui antea terrae dominus imperavisset et permulta ex tribus illis bonorum numeris possedisset — nam ecclesia Plocensis quoque bona Culmensia magna certe e parte a ducibus antea accepisse verisimile est. Quo diplomate gravissimo et calamitatem Polonorum spirante Conradus dux denuo terram Culmensem solidam ordini »dedit et contulit«, (uxore, filiis, episcopis, proceribus absolute consentientibus) cum pleno atque integro iure proprietatis atque imperii —

---

1) Roepell 647 (similiter Toeppen, Geographie 77, Watterich, Leo 670 et hoc diploma ad fallendum esse instructum ac dolosum opinantur) episcopalem iurisdictionem Gunthero reservatam esse putat; sed ipsa Guntheri verba: »hoc dumtaxat excepto, quod chrisma vel consecrationes abbatum, monalium, ecclesiarum et alia sacramenta ecclesie a nobis exposcentur, per que pretaxate nostre donationi eisdem facte fratribus in nullo aut derogari queat aut deperire« minime illam movent suspitionem. cf. Waitz 1782.

2) A. B. I, 66, Watt. dpl. 20, Theiner I, 40 p. 19 sq. Huic interpretationi et illa verba conveniunt, a quibus Theineri diploma incipit (cf. infra III, §. 4). Alias huius instrumenti caussas cf. ibidem.

quatenus illo tempore harum rerum notiones et significationes extarent definitae et constitutae.

Simul eisdem rationibus — id quod imperator iam a. 1226 ordini tradiderat, dux advocatione et praesente sermone, papa literis illis in bellum fratres adhortantibus iam probaverant — etiam Prussiam expugnandam Conradus Teutonicis »concessit.«

Praeterea dux ordinis territoria ab omnibus hostibus, a paganis Conradi terras Teutonici defensuros invicem sese promittunt [1]).

Atque Prussiae tunc primum instrumento concessae caussa mihi haec esse videtur; quod illo tempore iam ipsam Prussiam fratres aggrediebantur [2]), ita ut terram Culmensem et pactionibus et bello plane tutati una cum expugnatione novae terrae novis tum rebus diplomaticis ac politicis instare possent Prussicis. Quae ipsa Prussiae concessio etiam caussa adiuvans nescio an fuerit terrae Culmensis simul rursus donatae ac condicionum accuratius additarum, quae, cum Teutonici terram Culmensem reapse iam possiderent, manifestius necessariae tum apparerent, quam in donationibus ante terram expugnatam possessamque mente et cogitatione praecipi possent; quae condiciones accuratiores una etiam in Prussia ordini conceduntur.

Conradi autem concessione illa expugnationem et possessionem Prussiae ordini magis etiam tutam redditam esse patet; nam etsi ex sententia illius temporis legitime non nisi papa et imperator de terris paganorum decernebant, tamen ex ipsa rerum natura finitimus quisque princeps

---

1) Prussos et reliquos paganos »Sarazenos« appellari posse cum ex sacris expeditionibus tum ex equitum Teutonicorum condicionibus satis intellegitur. Quid intersit inter donationem (dare, donare, conferre cet.) et concessionem (concedere) docent Waitz 1786, Rethwisch 46.

2) cf. exc. XV.

christianus gentium civitates, quippe quae expertes essent legum foederisque christiani, ut rem nullius sibi sumere ac vindicare posse videbatur, si ad convertendos subigendosque incolas satis valebat.

Brevis illa bulla papalis mense Septembri eiusdem anni 1230 data[1]) iustam aestimationem copiosi diplomatis Crusvicensis infringere non poterat etiamsi — quod omnes temere opinantur — confirmatio eius esset. Sed ex mense ascripto et similitudine verborum rerumque probabiliter confici potest, papam mense Septembri — postquam Hermanno de Salza quoque auctore pax imperatorem inter et papam convenit[2]) eadem rite ac legitime confirmasse, quae octo mensibus ante — cum spes pacis adesset — commemoraverat laudaveratque[3]).

Violentam vero Prussiae expugnationem intra terminos paganorum papa coercuit, leniter ergo et benigne conversos tractari iussit; quod rerum naturae erat consentaneum, quodque antea (II, §. 2) papae promiserant.

Roepell[4]) mense Iunio anni 1230 Conradum invitum sed necessitate coactum ordini Prussiam neque tamen summam potestatem concessisse contendit. Sed neque quae attulit argumenta probari possunt, neque condicionum rerumque satis magnam habuit rationem, ita ut et ipse postea sibi constare nequiret.

Proximum est, ut, quae de Prussia Roepellio dicta sunt, examinemus. Atque Conradi vindiciae illae — si omnino Prussiam ad se vindicaverit — valde dubiae sunt[5]). Teutonicos enim, ut eum a Prussis, Masoviensium victoribus

---

1) A. B. I, 415, W. dpl. 21, Theiner I, 39 p. 18.

2) cf. supra p. 40, von Stramberg p. 204.

3) De simillimis his papae diplomatis Rethwisch p. 42, 46, 48 contraria!

4) 439 sqq.; eodem modo Romanowski p. 54 sqq. Roepellio repugnant Ewald p. 53 et Rethwisch 45.

5) cf. Waitz 1786.

liberarent, advocavit; Teutonicis Prussiae expugnandae auctoritatem imperator quoque tradidit; ipse Conradus et advocatione ordinis et petitione auxilii et — quippe quod esset consentaneum — praesenti sermone Prussiam fratribus concessisse videtur; papa minime dissensit.

Praeterea ob rerum angustias [1]) ne cogitationem quidem Prussiae sibi vindicandae Conrado in mentem venisse arbitror cum se a Prussis defendere non valeret, »succurrentem alium habere nequiret«, paterni imperii provincias »ut evaderet maius malum« ordini dare coactus fuisset. Num vero hic ordo potentissimus et ab imperatore papaque in omnibus rebus adiutus, qui Prussos Polonorum victores bello vinceret, ipsam Prussiam postea expugnatam dicioni subicere potuit Polonorum. quos ab exitio ad salutem revocaret?

Si Prussiam ab ordine, Prussiae expugnatore, domitore victorum suorum, ipsiusque liberatore, Conradus postea sibi petiisset, certo Teutonici eadem cavillatione illudentes eum petentem repudiavissent, qua a. 1240 Luboviam sibi tenebant, Conradumque convincebant; quamquam de Lubovia fortasse dubitare aliquis potest [2]). Sed revera [3]) Conradus Prussiam nunquam sibi vindicasse videtur atque etiam (mense Iunio a. 1230, cum Teutonici aggrederentur) legitime ordini concessit adiectis simul eisdem illis condicionibus, quae cum terram Culmensem diutius iam possiderent, optimae et necessariae sensim apparuerant.

Reliquum est, ut, quae de summa ordinis ducisve potestate Roepellio visa sunt, retractemus. Atque primam et secundam Conradi donationem ut de Prussia sic de dominio nihil certi indubitatique constituisse iam vidimus; sed ipsa rerum natura de his rebus per se satis iam decrevisse haud scio an visa sit, neque, nisi ut certius etiam constarent, (ex

---

1) cf. exempii caussa Watt. dpl. 20 et 21, A. B. I, 440 cet.

2) C. d. P. I, 51, cf. exc. XIV.

3) cf. Watt. dpl. 11, 17, 21, 20.

supervacuo, vel cum tempus rerumque status certiora expeterent) insuper diplomata sint confecta [1]). Instrumentum vero Crusvicense ut Prussiam sic summum imperium — quantum illo tempore certa eius notio constabat verbisque indubitatis significari potuit — ordini concessit. Cui sententiae iam illae, de quibus supra diximus, caussae consentiunt; praeterea quas modeste ac moderate ipse Roepell attulit caussae refutari possunt et nostra sententia argumentis ad evidentiam confirmari.

Quam enim ipse ille vult, oboedientia vel potius »summa quae esse potest immunitas« ordinis ab imperatore papaque maxime iam exempti et privilegiis beneficiisque donati contra ducem Masoviae invalidum reapse plena erat autonomia.

Conradi vero diploma imperatoris bullam non respicere, minime mirum est, quoniam ex contrario, quoad terram Culmensem attingit, Friderici II instrumentum Conradi donationes futuras antea confirmat [2]); Prussia autem concedi non proprie donari a duce ordini potuit.

Quod »ex iuris norma omnia semper iura reservata sunt, quae non diserte in donationibus adduntur« ea res alio spectat, siquidem ipse Conradus »accuratissimae illi et perfectissimae enumerationi« verba subiunxit »et aliorum omnium que . . . conscribi solent aut possunt, ita ut beneficium mee collationis largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem domus et fratrum eorum recipiat interpretationem.« Quin etiam ipsum ducis diploma bis distinguit »dominium« a »proprietate et possessione,« quae iura omnia simul ordini donantur; at vasallus non accipit dominium [3]). Cui interpretationi prorsus respondet,

---

1) Falso Ewald p. 53 sq. cf. exc. VI.

2) Falso omnes (velut Roemanowski p. 64 sq., Rethwisch 32 (cf. 31)) hanc diplomatum rationem et ordinem perverterunt.

3) »dominium« et iam per se solum idem significare atque summum imperium, docent Roepell p. 591, Rethwisch p. 45, cf. Watt. dpl. 11.

quod dux »nihil prorsus iuris, utilitatis, advocatie, patronatus vel cuiuslibet alterius iuris, dicionis aut potestatis quocunque nomine censeri possit vel appellari sibi, heredibus vel successoribus in omnibus supradictis vel in quolibet eorum retinet aut reservat«; nam dominus feudi et patronus non dimittit patronatum, dicionem, potestatem. Hanc ergo ipsam summam potestatem si reservare sibi voluisset Conradus neque ordini donare, qui antea non erat ex magnatibus Polonorum vasallisque: manifestissimis sane et apertissimis verbis eis, quae dicta sunt, contraria dicenda fuissent.

Itaque ipse Roepell, quae sibi Conradus reservaverit iura scrutaturus valde haesitat. Nam et iurisdictione ducali et militia generali — quamvis haec sunt signa feudalitatis — quod ipse Roepell confitetur, Teutonici vacabant. Quae vero Teutonici promittunt, ducem a paganis se esse defensuros, non est compensatio officii feudalis[1]), sed officium mutuum foederis ad bellum defendendum initi, cum idem auxilium dux quoque ordini promisisset: pares igitur pactionem Crusvicensem confecerant. Praeterea auxilium ab ordine duci promissum cum equitum constitutionibus tum advocationi donationique iam erat consentaneum.

Quin etiam Conradus ordinis terras ab omnibus hostibus, Teutonici ducem non nisi a paganis defensuros se promiserant, ita ut maius Conradus pactione Crusvicensi susciperet officium[2]).

Caussam, cur tanta in ordinem beneficia Conradus dux contulerit, filius eius memoriae tradidit: cum totum Conradi

---

1) Quod »secundum dei honorem« promittunt (Rethwisch l. c.), nihil ad rem, nam est formula in diplomatis usitata; sed desunt clientelae significationes, quae sunt: vasalli domino, sub nomine fidelitatis, fideles domino, cet. cf. Romanowski p. 46.

2) Falso Romanowski p. 56 et 62 sanctionem foederis illam ordini commodam: »quamdiu hostes fidei sint« in contrariam sententiam detorsit.

regnum labaret et succurrentem alium habere nequiret, a Teutonicis auxilium petiit, ut interitum evaderet[1]).

Non quod iustam non haberent summam rerum potestatem sub protectionem paparum et defensionem a. 1234 constituti sunt Teutonici, sed ut quam maxime rempublicam munirent[2]).

Et alii illarum regionum principes easdem inierunt rationes[3]).

Quod Gregorius IX Friderici II bullam anni 1226 non respicit, cum imperatorum paparumque convenit muneri atque simultati[4]), tum bipartitis ecclesiastici equitum Teutonicorum ordinis condicionibus et ingenio, moribus, studiis Hermanni de Salza. Neque tamen imperatori repugnat sanctio illa papalis: »ut Prussia nullius unquam subiiciatur dominio potestatis«[5]), sed summam ordinis potestatem confirmat; quam et ipse Conradus concessit, ita ut papa, cum ducem confirmationis illius certiorem faceret, simul ordini auxilium remota omni irrisione, Conradum rogare posset[6]).

Conradum auctorem et dominum ordinis Dobrinensis permisisse necesse est, ut cum Teutonicis Dobrinenses ab episcopo Masoviae consociarentur[7]). Quod vero obstitit, quominus bona Dobrinensia Teutonici acciperent, quodque Teutonici — quibus tamen Luboviam, regionem Prussicam, concedere[8]) dux coactus est — partem territorii Dobrinensis duci permiserunt: ex contraria ordinum condicione politica

---

1) A. B. I, 420.

2) cf. III, §. 5.

3) Theiner I, 3 p. 1 cf. ipse Roepell 422 sq.

4) cf. II, §. 2. Id vero notatione non indignum videtur, quod et in hac re (Watt. dpl. 11 et 25) imperator papaque idem proferunt prooemium.

5) hoc loco ipse Roepell summum imperium interpretatur!

6) A. B. I, 416, C. d. P. I. 36.

7) C. d. P. I, 43.

8) C. d. P. I, 51 cf. supra exc. XIV.

intellegi posse videtur. Possessionum enim Dobrinensium (quae antea sub Polonorum fuerant potestate, »concordato« i. e. mutua contrahentium facilitate) partem cum dominio acceperunt Teutonici [1]). Quod pauci equites Dobrinenses Teutonici non facti sunt, non magni momenti fuisse videtur. Quibus cum Conradus eisdem fere verbis summam rerum non dare vellet sibique exciperet [2]), quibus Teutonicis concesserat, Roepellii prorsus corruit argumentum.

Praeterea Roepell rerum statum non satis respicit. Nam ordinis Dobrinensis Conrado conditori et domino subiecti, adversus Prussos non sufficientis, partim deleti, partim ordini Teutonico coniuncti equites qui restiterunt prorsus Teutonicis comparat. Teutonicis autem terras Prussicas, quas Poloni bello cepissent, tutandas fuisse contendit! attamen tota a Prussis labefactata erat Masovia [3]), Prussi Polonorum victores Teutonicis erant vincendi, tuenda ipsa Masovia. Igitur Conradus Masovia tuta salvaque reddita contentus esse debebat; Conrado et Prussia, quam Teutonici expugnarent victorum terram, et, unde expugnationem inciperent, Masoviae provincia prorsus permittendae erant; nam permisit eas.

Quod Andreae II Hungariae regis contra Teutonicos severitatem laudavit Roepell, omnes perturbat rerum rationes. Nam priusquam papa Burzam ordini confirmavit, Andreas iam primum terram sibi arripuerat; tota praeterea Hungaria non erat periclitata; ordini summa potestas non tradita; papa Burzam »in ius et proprietatem s. Petri et sub defensionem specialem s. sedis« recepit; avaritia clericorumque instigatione commotus rex Teutonicos denuo expulit.

Quod Roepell ordinem Teutonicum summam terrarum

1) C. d. P. I, 45. Livonicas contra Gladiferorum a. 1237 sibi coniunctorum terras omnes: itaque cum omnibus Gladiferorum officiis.

2) Hasselbach, Kosegartem (von Medem) Cod. diplom. Pomer. I, 556.

3) cf. ipse Roepell p. 502 cet.

potestatem adeptum ultra ea progressum esse queritur, quae cum institueretur ei proposita essent: omnem condemnat rerum explicationem historiamque.

Attamen sacris expeditionibus saeculo XIII defervescentibus maxime erat consentaneum, et novam nec inconvenientem vivendi bellandique viam in Prussiae ordini Teutonico inveniri. Quam—ipso Conrado auctore—ingressi, quae eis proposita erant, assecuti sunt Teutonici; qui tamen summa rerum potestate destituti in eodem vel simili versati erant munere, Livonici equites et Dobrinenses, ad perficiendum opus non valebant. Insuper papa et imperator, quibus Teutonicorum conditoribus etiam de reliqua ordinis explicatione incrementoque legitime decernendum erat, et Hermannum de Salza principem imperii Romani creaverunt et summam rerum ordini donaverunt, concesserunt, confirmaverunt. Quod Teutonicos summo imperio sibi comparato Polonorum inimicitias suscepisse Roepell contendit, (p. 442 sqq.) eis male convenit, quae ipse ille postea (p. 502 sqq.) conscripsit, nec rerum respondet condicionibus.

Nam quod Conradus post papalem reipublicae Prussicae confirmationem [1]) minus quam autea ordinem adiuverit: et id rerum factorumque rationibus optime consentaneum est, etiamsi nullam inimicitiam statuimus. Nam quaecunque a duce petere potuit, ordo iam acceperat, iam fortuna secunda contra Prussos utebatur: Quid ergo caussae erat, quin suum Conradus curaret imperium vehementer conturbatum [2])?

Quam vero Romanowski p. 70 sqq. finxit, ducis reclamatio non solum rerum rationibus repugnat sed etiam diebus illis bullis, quae ei argumento sint, ascriptis [3]).

---

1) a. 1234. cf. III §. 5.

2) cf. ipse Roepell p. 503 et 504.

3) cf. C. d. P. I, 35: III. non. Aug.; l. c. 39: V. id. Sept.; cf. insuper l. c. 36. Quam ex altera parte (et Hermann p. 28 et) Watterich (et Leo 664 sqq.) finxerant episcopi reclamationem iam Waitz 1774 sq. (cf. supra p. 35) refutavit.

Quin etiam dissensiones illas a Roepellio postulatas mox plane conquievisse, eidem illi Roepellio concedendum est, cum res postea gestae nullam Teutonicis cum duce intercessam esse discordiam ostendant. Cur ergo inimicitias temere fingamus, quas tam celeriter prorsus revocemus, cum et antea et postea amicitiam necessitatemque inter ordinem ducemque constitisse resgestae doceant?

Romanowski et his in rebus Roepellii sententias longius persequitur. Sed perversam illam interpretationem, qua usus Romanowski gravissimas diplomatum definitiones quasi »vana verba« et »garrulitatem« reiciat, recipiat quae desideret, mihi quidem hoc loco confutandam non censeo; nam corruit, si quae ille detorsit ac depravavit diplomata leguntur.

Itaque, ut ad nostra revertemur, Teutonici, quibus et Prussiae et terrae Culmensis summam potestatem Conradus dux donavit sive potius concessit, Prussiam et Christianam et Germanam reddiderunt. Falso Winter[1]) episcopo solam conversionem pacatam et praedicationem, ordini una bella et institutiones coloniarum ascribit. Livonicorum enim episcoporum exemplum, sacrae expeditiones, beneficia in Dobrinenses et Teutonicos collata Wintero repugnant, ita ut ne ipse quidem satis sibi constare videatur. Sed Winteri narratione perspicere possumus, quibus rationibus Prussi et conversi et eruditi et Germani facti sunt.

Bene est observandum, quod praeter imperatorem papamque ei imprimis ordinem Teutonicum fovebant, qui resgestas equitum Prussicas ipsi intuiti essent. Wilhelmus Mutinensis, Ottakarus Bohemicus, Rudolfus Habsburgensis, Urbanus IV papa[2]). Neque id praetereundum est, quod ipsi Teutonicorum adversarii finitimi periclitantem ordinem nunquam non adiuverunt[3]); nam ordine periclitato et ipsi in periculo versabantur.

1) p. 275, 283 sq., 291 sq.
2) Voigt III, 75 sqq., 324 sqq., 200 cet.
3) Voigt III, 145 sq. etcet.; Roepell 505 sqq.

Omnes de summo Teutonicorum imperio dissensiones inde ortae videntur, quod Teutonici primi inter ordines equestres summam rerum assecuti sunt. Quod cum ad id tempus inauditum esset et quia notiones de ordinum et civitatum potestate nobis insitae nimis facile antiquioribus supponuntur: multi historiae scriptores, quod novum fuit, etiam nefas fuisse iudicant; itaque, prout quisque statum Prussiae ante ordinem advocatum fuisse putavit, aut duci aut episcopo ab ordine vim atque iniuriam illatas esse opinantur.

Hos (Wattericum, sed etiam antea Herrmannum et postea Leonem) a falsa profectos coniectura Waitz (Ewald, Rethwisch) plane iam confutaverunt; illos (Roepellium et Romanowskium) mihi etiam separatim tractandos esse censui, cum rerum cursus eventorumque consequentia ex nostra sententia enarrata essent. Sacerdotale episcopi imperium qui laudant, in eo maxime errant, quod Christianum Livonicis episcopis prorsus parem ponunt; quamvis sacrae expeditiones primum archiepiscopo Gnesnensi, deinde Christiano, tum ordine Teutonico ducibus papalibus instituerentur et fratres militiae Christi Conradi imperio subiecti essent. Qui vero Polonorum dominationem oppressam ab ordine opinantur falso Masoviam Hungariae plane comparant, neque rerum Polonicarum satis intuentur angustias ac miserias. Ita utrique, rebus opinioni repugnantibus, ne ipsi quidem contentire secum possunt.

At nulla praemissa coniectura si diplomata perlegimus, ordini summam rerum ab imperatore, papa, duce, ceteris datam, concessam, agnitam legitime esse videmus; et res ordinis Prussicas pedetemtim apteque crevisse et adolevisse. Bene vero et fortunate rempublicam Prussicam ab ordine esse constitutam, et ante conici potuit ex potestate auctoritateque Teutonicorum et cognosci potest ex eventu secundo.

§. 4.

De rebus Culmensibus accuratius ordinatis.

Wilhelmus Mutinensis papalis Prussiae legatus et ipse Innocentius IV papa mense Iulio a. 1243 pactionem quandam commemorant atque confirmant, quae »quando primo ad inhabitationem illius deserti (i. e. terrae Culmensis) homines intraverunt« inter ipsos hos colonos, ordinem, episcopum convenerat[1]. (Rethwisch p. 44 quoque, sed antea etiam Voigt II, 466 et Toeppen[2]) iam repererunt, »pactionem Leslaviensem« illis diplomatis non significari.)

Cuius pactionis instrumentum servatum nobis non est. Sub finem autem anni 1230 vel initium anni 1231 eam factam esse, verisimillimum est, cum terra Culmensis satis iam esset tuta colonosque recipere posset.

Quod Innocentius, non ipse Wilhelmus, legatum quoque inter paciscentes illos enumeravit, id proprie dictum esse non potest. Ut legatus ergo Wilhelmus inter tres illos contrahentes pactum conciliasse videtur, aut ex Italia[3]) etiam tunc res Prussicas disposuit aut confirmavit[4]).

Quae vero pacto illo deperdito constituta sint, reparari posse videntur. Etenim verisimile est, pactionem amissam aut valde copiosam et accuratam fuisse[5]) aut praeviae quaedam et universae condiciones et quae praemittuntur accuratius constituendis. Atque in utraque causa proximum vero est, non omnes contrahentes totius pactionis exemplaria accepisse, sed eam partem condicionum, quae ad ipsos refe-

1) A. B. II, 611, Watt. dipl. 29; Watt. dipl. 30, Theiner I, 76 p. 36. cf. A. B. II, 611 sqq. et Theiner I, 751 p. 563 sqq.

2) Geographie pag. 111 sqq.

3) sicut a. 1243 cf. W. dpl. 29.

4) cf. A. B. II, 611 sqq.; prorsus falso de his temporum rationibus Rethwisch disputat. cf. exc. XV.

5) cf. huiuscemodi pactum anni 1249 apud Voigtium II, 620 sqq.

rebantur, cum quae inter binos constituerentur ad tertium nullius fere momenti essent.

Quam rerum probabilitatem historiae monumenta confirmant; nam de qua agitur pactio generalis non servata nobis est, at diplomata exstant nonnulla, quae et singulorum iura et officia exhibent, neque nulla pactione universali animo substituta satis bene intellegi et explicari possunt.

Quod Teutonici Christiano scripsisse videntur diploma deperditum est illud quidem — diuturna ut videtur episcopi captivitate et bellis illius temporis gravissimis — sed ipsius huius diplomatis argumentum illa legati bulla servavit, a qua profecti sumus. Ex qua Teutonici episcopo promisisse videntur: »videlicet unam mensuram tritici et unam mensuram siliginis de aratro et unam mensuram tritici de unco et insuper sencenti mansi de terra in competenti vel competentibus locis ipsius terrae Culmensis«[1]); »salvis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, que non possunt nisi per episcopum exerceri«.[2])

Episcopi deinde instrumentum ordini a. 1231 datum huc spectare videtur[3]).

Nam nulla ordinis repromissione addita hoc diplomate in ordinem Christianus confert a) quaecunque ab ecclesia Plocensi accepit »nobis in reliquis episcopalem iurisdictionem reservantes« b) »omnem Conradi ducis Masovie donationem... sicut ab eo accepimus« c) »predium in Rezin, quod ab heredibus Christiani (cuiusdam) comparavimus«[4]). Voigt igitur, qui pactionem hoc Christiani instrumentum antegressam

1) Quae verba Rethwisch p. 39 falso legit falsoque intellegit.

2) Hanc sanctionem non solum ad Prussiam propriam pertinere sed etiam ad terram Culmensem diploma insequens docebit.

3) W. dpl. 22a cf. Watt. p. 90; etiam bullae prooemium iam constituta denuo confirmare videtur cf. Theiner I, 40 p. 19.

4) cf. A. B. I, 276; Watt. dipl. 22b separatam et privatam exhibet Christiani donationem (cf. Waitz 1766 et 1784 sqq., et Rethwisch p. 47) quae postea irrita facta est (cf. III, §. 6).

sed amissam non scriret, in falsam sententiam non incidere non potuit, Christianum a. 1231 praeter iurisdictionem episcopalem nihil sibi reservasse [1]), cui diplomata illa anni 1243 repugnant. Rethwisch vero (p. 47), qui neque ullum ordinis diploma bullae episcopalis complementum cognosceret et de pactione illa amissa, quam primus iuvenisse sibi videtur leviter falsoque iudicaret, hoc Christiani instrumentum haud bene dilucideque interpretari potuit.

Denique ad pactionem illam amissam spectare videtur instrumentum Culmense [2]); quod idcirco mense Decembri anni 1232 datam esse putamus [3]), ne nimis a diplomate illo Christiani separetur. Sed verisimilius etiam videtur, novam nobis instrumenti editionem servatam esse, atque primam Culmensem constitutionem ex urbibus Germaniae in Prussiam translatam et brevi novis condicionibus accomodatam esse. Breve tamen temporis intervallum minime mirum est, considerantibus nobis Culmenses illas constitutiones, quae non tam celeriter confici nec ratae fieri potuerint. Atque hac ipsa Culmensis instrumenti natura rursus ad veri similitudinem adducitur, primam amissamque pactionem nonnisi praeviam universamque fuisse et quod vocant praeliminarem. Mutuas cunctasque ordinis civiumque condiciones statutas esse instrumento Culmensi perspicuum est; atque condicionum naturae respondet, non singulas utriusque partis singulis diplomatis mandatas esse.

Itaque solae etiam rationes alternae desiderantur, quae civibus cum episcopo intercesserint. Quarum si deperdita sint diplomata, non demirer equidem; sed cum, de quibus

---

1) Voigt II, 202.

2) Lucas, David ed. Henning III p. 137—145; cf. Voigt II, 237—242. Quae Watterich p. 140 etcet. contra Voigtium II, 466 argumentatur, instrumentum Culmense totam illam pactionem a legato a. 1233 commemoratam esse reprobant; nostram sententiam non attingunt.

3) cf. Voigt II, 237, Toeppen Scr. r. Pr. I, p. 56.

agitur, rationes nonnisi ecclesiasticae fuisse videntur, huiusce generis autem nonnullas instrumentum Culmense commemorat: omnes mihi et mutuae civium condiciones non solum politicae sed etiam ecclesiasticae diplomate illo Culmensi ordinatae esse videntur.

Atque gravissima haec constitutio rerum Culmensium post pactionem illam Crusvicensem (III, §. 3) et ante papalem Prussicae civitatis confirmationem (III, §. 5) convenit. Itaque, nisi falso Roepell putasset, ante hanc confirmationem Conradum summam rerum Culmensium sua potestate habuisse, id magis etiam cognosci posset ex his constitutionibus Culmensibus, quam autea ex similibus pactionibus Livonicis [1]). Quod quia cognosci non potest, diploma Crusvicense etiam sic intellectum videmus, ut intellegendum erat.

Dominus ergo ordo Teutonicus, quae inter ipsum principem et episcopum et cives essent condiciones in omnibus partibus constituerat, ita ut Culmensis provincia bene instructa crescere ac florere posset. Quae rerum dispositio etiam postea, cum totius reipublicae Prussicae provinciae et dioeceses ordinarentur (III, §. 6) et ipsa sancta confirmataque manebat, et reliquarum constitutionum imago normaque imitanda sumpta esse videtur.

§. 5.

De confirmatione papali rei publicae ab ordine constitutae.

Postquam papae, ne Prussi a conversione deterrerentur, conversorum libertatem antea iam confirmaverunt, anno 1225 Prussiam sub beati Petri protectionem et oboedientiam ecclesiae Romanae susceperunt (II, §. 2). Deinde a Conrado duce advocatus et imperatoria auctoritate a. 1226 munitus ordo Teutonicus Prussiam expugnare atque convertere conatur (III, §. 1); quod papa quoque a. 1230 comprobavit (III, §. 3).

---

1) II, §. 1. Voigt I, 424 sq.; v. Schloezer 82 sqq.

Propterea tum a. 1231 proselytos quosdam sub suam papa recipit protectionem, nulla rationis politicae libertatisque mentione facta[1]).

Anno denique 1234 — cum politicis quibusdam condicionibus imperator et papa coniuncti erant[2]), neque vero auctoritas Hermanni de Salza inimicitiis semper imminentibus non magni erat momenti, atque Teutonici in Prussia ex pugna magna superiores discessisse videntur[3]) — tum anno 1234 Gregorius IX papa (sicut Fridericus II imperator iam a. 1226) totam Prussiam ordini Teutonico donavit atque confirmavit[4]).

Etenim iam antea papa omnes Teutonicorum possessiones et praesentes et futuras sub suam susceperat protectionem (I, §. 1). Atque etiam Prussiam papali defensioni et dicioni subiecerat (II, §. 2); neque postea, cum Conradi ducis donationes, concessiones, promissiones Prussicas ordini comprobaret, incepta Teutonicorum condemnavit (III, §. 3): tunc vero a. 1234 clarius quam antea Prussicam Teutonicorum rempublicam confirmavit, ita ut nullo modo ordinis papaeque iura inter se certare viderentur.

Praeterea vero superiora paparum diplomata Prussica nonnisi ad conversos et convertendos pertinent; et ex contrario priora ad ordinem scripta documenta papalia non nisi paganos bello subiciendos commemorant. Sed quo pauciores et inconstantiores iam christiani in Prussia vixerant, eo facilius postea omnes simul complecti papa potuit.

Itaque a. 1234 cum rebus factisque antiquiores constitutiones legesque concordatae sunt:

I. Primum enim papa »in ius et proprietatem beati

---

1) W. dpl. 23 cf. annotationem Watterici.

2) Schirrmacher I, 233 sqq., Winkelmann 426 sq.

3) Voigt II, 250 sqq.

4) C. d. P. I, 35; Watt. dpl. 25; Theiner I, 57 p. 25; cf. Innocenti IV papae confirmatio A. B. I, 423, Theiner I, 78 p. 38.

Petri . . . et . . . sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione« Prussiam adhuc retinuit.

II. Deinde ordini concessit »cum omni iure et proventibus suis . . . in perpetuum libere possidendam, ita ut per vos aut alios dicta terra nullius unquam subiiciatur dominio potestatis«; id quod antea conversis promiserat.

III. Tum vero suis papa excepit constitutionibus, »ut per ipsum ordinaretur a) de construendis in ipsa ecclesiis et instituendis ibidem clericis, episcopis et prelatis aliis, nec non de providendo, quod iidem de prefata terra congruam habeant portionem«[1]; b) »et quod promissiones et pactiones, quas presentibus habitatoribus eiusdem terre fecisse noscimini, aut futuris facietis, in posterum a vobis valeant observari«[2]. Civilem ergo hoc loco libertatem Prussis papa iisdem claris verbis confirmat atque antea saepissime socialem c) »et quod in recognitionem dominii et percepte a sede apostolica libertatis ecclesie Romane census annuus persolvatur, sicut in domino ad honorem ecclesie ac utilitatem vestram visum fuerit expedire.«

Dubium videri potest, utrum papalis haec reipublicae Prussicae confirmatio etiam terram Culmensem amplectatur necne[3]. At territorium illud antea Prussicum fuisse videtur et Conradus dux ordini hanc sui regni provinciam donavit, quam sicut reliquae Prussiae liberae partes Teutonici expugnaverunt. Itaque nescio an falso statuerit Waitz (p. 1789) terram Culmensem certissime esse exclusam. Nam quod bullae prooemio papa donationem Conradi separatim affert, huc non spectat, sed ius expugnandi illam provinciam comme-

---

1) De his rebus ordinatis cf. III, §. 6. Simili ratione a. 1210 Livonicas res ecclesiasticas sibi papa ordinandas reservaverat cf. II, §. 1.

2) cf. instrumentum Culmense et pactionem anni 1249 Voigt II, 620 sqq. cet.

3) cf. imperatoriam confirmationem III, §. 1.

morat — Prussiam contra, quae esset paganorum terra, ipsi imperator et papae ordini expugnandam legitime permittere potuerunt —. Constitutio vero et confirmatio terrarum iuste ac legitime expugnatarum loco dantur secundo.

Haud vero dubie postea papalis haec confirmatio ita intellecta est, ut terra Culmensis reliquis Prussiae territoriis annumeraretur (cf. III, §. 6).

§. 6.

De rebus Prussicis accuratius ordinatis.

Quae a. 1234 promissa erat, rerum Prussicarum ordinatio a. 1243 ad finem perducta est. Interea ab. a. 1233 usque ad annum 1240 Christianus episcopus captus a. Prussis detinebatur[1]). Quibus annis res omnes valde adultae ac mutatae erant neque episcopo ut antea consuetae grataeque. Epistulam proinde querelarum plenam papae misit; qui episcopo Misnensi (mense Aprili a. 1240) et aliis imperavit, ut has controversias componerent[2]), atque literis suis Christiani querelas enumeravit, sed — id quod multi neglexerunt — nullam de eis ipse sententiam dixit. Quibus querelis singulis veri aliquid inesse potest, sed plane verae ex ipsa rerum natura dubito an esse non possint; mutuae autem inimicitiae episcopum, ut insuetas res Prussicas haud optime iudicaret modumque excederet, adduxisse videntur. Atque continuo, cum e captivitate liberatus esset, ut denuo res Prussicae ordinarentur, ab ordine Christianum petiisse, continua bullarum papalium consequentia (a. 1240) docet.

Cuius quaestionis arbitrium exitumque ignoramus; at ordinem etiam postea, minime Christianum, papae semper foverunt et adiuverunt[3]). Atque cum simili ratione postea

---

1) C. d. P. I, 32 et 52

2) A. B. I, 430, W. dpl. 27, Theiner I, 73 p. 34.

3) cf. Voigt II, 364 sqq., 457 sqq.

ordinem clerici quidam accusassent, ipsi ordinis inimici Teutonicos apud papam defenderunt[1]).

Denique, quo firmius constituerentur res Prussicae, leges a. 1234 promissae a. 1243 conditae sunt. Iam vero antea statutum erat[2]), ut in Prussia ordo »duas partes haberet cum omni temporali fructu« et episcopus »terciam cum omni integritate«[3]) et praeterea in ordinis partibus »illud ius spirituale, quod non potest, nisi per episcopum exerceri«.

»Cum omni temporali fructu« enim ordo suam accepit terram, quia privilegiis a decumis solvendis liberatus erat; episcopus autem »cum omni integritate«, ne suae tertiae tertiam — quod a. 1231 promiserat — ordini dare deberet. Quae universa constitutio mense Iulio a. 1243 ad similitudinem rerum Culmensium accuratius perfecta est[4]).

Prussia enim omnis divisa est in dioeceses quattuor: in prima autem Culmensi pactiones pristinae ratae habitae sunt, in reliquis vero tribus eadem, quae antea de tota Prussia, constituta erant. Sed eo accessit, ut »cum omni iurisdictione et iure« (i. e. non solum episcopali sed etiam saeculari) suam tertiam episcopus haberet. Sui ergo iuris factus in sua terra episcopus summam rerum impetravit, quam a. 1234 in tota Prussia ordo confirmatam acceperat. Anno enim 1243 cum Prussia satis iam tuta videri posset, consueta prudentia usus est papa, ne nimium incresceret ordinis potestas. Sed terrae rerumque statu per longum temporis spatium papae adducti sunt, ut episcoporum opibus ordinem adiuvarent; nam etiam sui iuris facti episcopi Prus-

---

1) cf. Voigt III, 143 sqq.

2) C. d. P. I, 41, W. dpl. 28.

3) Cuius tertiae tertiam capitula episcopalia postea acceperunt cf. Toeppen Geographie p. 151 sqq. cf. p. 118.

4) A. B. II, 611, W. dpl. 29, Theiner I, 751 p. 563 sqq. cf. exc. XVI.

sici eadem ratione atque Teutonici in protectione paparum et dicione tenebantur, cui tota Prussia subiecta fuit.

Sub finem eiusdem mensis Iulii a. 1243 Innocentius IV papa de »limitatione et divisione« Prussiae Christianum episcopum certiorem fecit, ordinis facinora laudavit, Christianum admonuit, ut una dioecesi et parte eius episcopali contentus esset, nihil papa invito venderet, in omnibus rebus ita se gereret, »sicut pontificalis dignitas et religiosa requirit honestas, in omnibus . . . que deo et ecclesie sint ad gloriam, tibi redundet ad meritum et Christi fidelibus de Prussia veniat ad profectum«[1]).

Quae admonitio eodem a 1243 et anno 1245 repetita atque intensa est[2]); et hoc fere tempore Christianus episcopus mortuus esse videtur.

Anno 1237 ordo ensiferorum cum Teutonicis congregatus erat[3]), ita ut contraria ratione in Prussicos atque Livonicos episcopos clericosque uterentur Teutonici[4]).

Quarum regionum archiepiscopus Balticarum ab anno 1246 Albertus erat[5]). Bellorum vero, quae his annis[6]) (1242—1253) gerenda erant Teutonicis, papa strenuus exstitit socius[7]). Quo ipso tempore inimicitiae ordinem inter et archiepiscopum ortae in gratiam Teutonicorum compositae sunt.

Nam mutuis illis, sed in Prussia atque Livonia contrariis eorum condicionibus inimicitiae non oriri non poterant; et omnis rerum natura exitum secundum ordini efficiebat.

1) W. dpl. 30, Theiner I, 76 p. 36.

2) C. d. P. I, 57 et 62.

3) Voigt II, 301 sqq.; v. Schloezer 141 sqq.

4) cf. Toeppen, Geographie p. 149 sqq. Curlandia Prussiae addicta est.

5) Legati munere non diu functus est A. B. II, 624, C. d. P. I, 72 et 86.

6) cf. Toeppen, Historiogr. 284 sqq.

7) cf. Watt. regest. p. 202 sqq., Theiner I, 77 sqq. p. 37 sqq.

Atque iam a. 1249 papae animus in Albertum iratus ordini favebat[1]. Hoc ipso anno pactione et concordia inter illos confecta, archiepiscopus pecunia ab ordine accepta promisit, se nunquam ordine invito in Prussia habitaturum esse[2]. Quae discordiarum compositio mense Februario a. 1251 denuo confirmata[3] Alberti inprimis officia accuratius praescribit, ordinem »crucis et fidei negotiatorem« archiepiscopo adiuvandum commemorat; iura autem archiepiscopi ordinisque officia praecipue ea laudantur, quibus »extra Curoniam et Prussiam« ordini fungendum sit.

Sed diversis inter se et repugnantibus ordinis privilegiis et iuribus Livonensium clericorum[4] remedia remorantia magis malum quam tollentia papae adhibuerunt. At in Prussia, vera et iusta ordinis civitate. ne habitare quidem archiepiscopum papa voluit[5], ita ut etiam ecclesiasticis rebus liberius uti Teutonici possent; atque omnibus modis Innocentius reipublicae Prussicae opera et studio aderat[6]. Vel etiam episcoporum illa territoria communibus periculis sibi iam coniuncta magis deinde suis commodis ordo immiscuit, cum episcopos capitulorumque clericos ex fratribus Teutonicis creari papa iuberet, creatosque ordinem adiuvare[7].

Atque communi omnium saluti valde profuerunt Teutonici, cum, quo malo tum omnes labobarant civitates, a divitiis accumulandis ecclesiasticos prohiberent[8].

Itaque ordinis respublica et domesticis et politicis in in rebus optime constituta laetissima cepit incrementa, ita a. iam 1283 tota Prussia Teutonicorum succumberet imperio.

1) C. d. P. I, 82 cf. 79 sqq.
2) W. dpl. 31.
3) W. dpl. 32.
4) cf. Voigt II, 339 sqq., III, 588, Herrmann 16 sq.
5) W. dpl. 33.
6) cf. C. d. P. I, 82, 83, 89, cet.
7) C. d. P. I, 68, 79, 87 cet. cf. Herrmann 42 sqq.
8) Voigt II 492, III 161, 543 sqq.

Atque omnes illae Viadranae Vistulanaeque regiones coloniis frequentissimis ex universis Germaniae gentibus deductis Germaniae tum rursus addictae sunt[1]).

Excursus.

I.

Chronicon Olivense Dusburgii iam fontem fuisse et mihi quidem Hirsch (Scr. r. P. I, 649 sqq.) persuasit; sed ex argumentis, quae Rethwisch (p. 49 sqq.) addidit, haud paucis annis post annum 1283 mihi scriptum esse videtur, siquidem, quae 1242—1253 (Toeppen, Historiogr. 284 sqq.) et 1260—1283 exarserant, Prussorum rebelliones prorsus iam effluxerunt.

II.

Rethwisch p. 4 territorium Culmense Polonicum semper, nunquam Prussicum fuisse opinatur; sed quae attulit argumenta reliquorum sententiae (Prussicam terram Culmensem a Polonis expugnatam esse) minime repugnant: igitur minime necessaria Rethwischii nova coniectura. Situs vero terrae Culmensis et Luboviensis (C. d. P. I, 51) Prussica territoria significat, et a Prussis illo tempore recuperabantur. Atque etiam verba illa papae (W. dpl. 25) »terra nomine Colmen a Christianis longe retro temporibus habitata prodecessoribus Conradi ducis dominantibus in eadem« (ex Conradi fortasse diplomate quodam amisso descripta) ducis, qui donationem fecit, ius donandi indicare videntur. Situs

---

1) cf. v. Schloezer 135 sqq.; H. Rückert, Die politische Anlage und Thätigkeit der verschiedenen deutschen Stämme apud Raumer, Histor. Taschenb. 4. Folge 6. Jahrg. 1865 p. 191 sqq.; v. Sybel, Nation p. 79; Roepell, 445 sqq., 474 sqq.

vero ille terrae Culmensis et dubia gens religioque praedicationi et conversioni aptissimum fuisse videtur initium; primaque conversorum regio Lubovia nota est (W. dpl. 4). Primae ergo paparum bullae, quae ad conversionem, non ad imperium spectant, omnes conversos appellare Prussos potuerunt.

Rethwisch (p. 8 sqq.) vero christianos a Polonis, Prussos a paganis nimium separavit. At illa, quam primam Rethwisch laudavit de Poloniae angustiis bulla papalis conversos etiam commemorat, et ea, quam R. illam secutam esse dixit, prima data esse videtur (cf. II, §. 2). Praeterea minime vero similis est, quam R. p. 10 sibi fixit, rerum consequentia: incursiones Prussorum in Poloniam factae christianis conversisque Prussicis periculum intulisse. Contrarium ergo vitium atque Romanowski (p. 10 a Rethwischio vituperatus) ipse Rethwisch non evitavit. At rerum naturae prorsus consentaneum est, propter conversionem — sicut in Livonia quoque antea factum erat (Voigt I, 380 sqq.) – Prussorum animos christianis Polonisque infensos fuisse (Voigt I, 442); nam easdem fere de christianis atque Polonis notiones habere Prussos necesse erat.

Quod Romanowski p. 13 et Rethwisch p. 17 sqq. Christianum ut crucesignatorum ducem castrum Colmen restaurari permisisse dicunt, verum narrant illi quidem, sed id non viderunt, cur cruciferi Conrado opus essent ad retectionem. Praesidium enim Conradus, non aedificatores ab episcopo petiit. Ipsum ergo Culmense territorium etiam tuendum erat et a Prussis defendendum. Atque Conradi ducis simul et Christiani episcopi aeque intererat, ut Prussi gentiles vincerentur, et in eodem Christiani exercitu permulti erant Poloni. Multo autem magis mirum est, quod iidem Romanowski et Rethwisch opinantur, minime Christiani interfuisse, utrum Culmensis illa terra salva esset necne [1]).

1) Sane hac opinione Rethwischio non ita incredibiles visae

Attamen terra Culmensis interposita erat inter Prussiae partes christianas et reliquam terram christianorum. Itaque etiam minime sunt probabilia quae Rethwisch p. 25 sq. et 34 sq. statuit; et ipse Rethwisch p. 36 eisdem caussis permotos ducem episcopumque ordinem Dobrinensem condidisse finxit; atqui Dobrinense territorium a terra Culmensi meridiem versus spectat!

Sed ad nostra revertamur: si Prussi in confines saeviebant christianos, certo conterraneis non parcebant et peregrinis eorum apostolis atque sociis[1]).

Denique diploma C. d. P. I, 19 (cf. 21) haec exhibet verba: »castrum Dobrin cum terra ab eodem territorio (?) nuncupata i. e. quicquid inter fluvios Camenicam et Chelmenicam a Wysla usque in Prussiam continetur«. Quae verba »usque in Prussiam« terram Culmensem significare videntur.

Sed etiamsi certi indubitatique de his rebus nihil inveniri potest, tamen quam Rethwisch sibi finxit narrationem nec temporum, nec locorum, nec caussarum consequentiae rationique bene convenire videtur.

III.

Primum bullae anni 1215 Christianum certo appellant episcopum. Sed incertum est, corrigendumne sit diplomatis C. d. P. I, 7 (Theiner 16) illud »M CC XII«. Nam quae Watterich p. 12 argumentatur, ex falsa profecta sunt temporum ratione[2]). Itaque Rethwisch p. 7, a. 1212 Christianum episcopum factum esse, putat, quod Chronicon Montis

---

sunt illae donationes, quae, ut Conrado morem gereret, episcopo datae sint (W. dpl. 10); sed hoc ipsum mirum est, quod istud diploma sagaci scriptori minime suspectum fuit cf. exc. VI,

1) Rethwisch p. 35 verba »in finibus eorum« et »in suis finibus« falso interpretatur; nam idem valent atque »finitimus«.

2) cf Romanowski p. 3, Ewald p. 7.

Sereni[1]), Christianum a. 1215 consecratum narrans, contra diploma illud C. d. P. I, 7 nihil valeret.

Sed, de quo agitur, instrumento illi »anni 1212« primum transsumpto a. 1218, deinde regestis papalibus inscripto non optima fides tribuenda est.

At Chronici illius auctoritas minime hac in re spernenda est; nam huiuscemodi narrationes[2]) in chronicis monasteriorum eodem tempore scriptis magnae sunt auctoritatis, et ex Saxonia permulti venerunt in Balticas illas regiones apostoli colonique; et postea etiam Christiani[3]) Prussiaeque mentionem facit Chronicon Montis Sereni[4]).

Praeterea diplomata Watt. 2 et 3 nos docent, mense Augusto a. 1212 certo Christianum non iam fuisse episcopum. Neque, si annus constaret, caussam viderem equidem, cur princeps quidam Polonicus Christiano, viro papis gratissimo et episcopo paene designato, pagum donare non potuisset. Sed in diplomate et illud »abbas de Prussia« valde mira est significatio, et anni mutatio[5]) facilis est coniectura, ita ut lectio illa diplomatis transsumpti et iterum descripti contra certam chronici auctoritatem nihil valere videatur.

At annus haud ita magni momenti. Certissime prorsus falsa est Romanowskii (p. 3) opinio, papam a. 1210 (W. dpl. 1) Gnesnensi archiepiscopo dedisse facultatem creandi episcopi Prussici.

IV.

Diploma Honorii III papae III non. Mai. a. 1218 datum: A. B. I, 264 Luc. David ed. Henning III, 43 Romanowski p. 10 sq. et Rethwisch p. 58 spurium esse putant.

1) ad a. 1215 cf. Scr. r. P. I, 241.

2) de consecratione ecclesiarum clericorumque et quae sunt generis eiusdem.

3) qui et ipse Saxoniam frequentasse videtur.

4) cf. l. c. ad aa. 1220 et 1222.

5) M CC XII = XV vel XVI cet.

At papae saepissime episcopos creaverunt, ut paganorum essent apostoli[1]); atque aliae in illis diplomatis[2]) rerum Prussicarum descriptiones ex diversis bullarum caussis intellegi possunt. Fortasse enim papae futuris rebus prospicere voluerunt[3]), aut Christianum liberum episcopum, nec ex Gnesnensibus pendentem significare, aut ecclesiam Prussicam ad id infirmam firma adiuvare constitutione. Atque etiam nimium de sacra expeditione instante papa sperasse mihi videtur. Neque quod sua ipsi Christiano dividenda erat dioecesis mirum est; nam certo tunc ipse archiepiscopus factus esset.

V.

Diplomata Watt. 7 et 8a eiusdem esse anni, admodum probabile est. Sed utrum (A. B. I, 267) »anno III«[4]) an (C. d. P. I, 6) »anno II« corrigendum sit, incertum est. Nam cum a. 1218 expeditio sacra praeparata[5]) a. 1219 instituta sit, et eodem anno 1219 illae bullae scriptae esse possunt. Huic sententiae bulla respondet C. d. P. I, 13 (Theiner I, 19), illi diplomata Watt. 6, C. d. P. I, 3, cf. C. d. P. I, 1 et 13 et Theiner I, 20.

VI.

Diploma a Conrado duce et ecclesia Plocensi a. 1222 Christiano scriptum (W. 10) permultas praebet suspitiones:

1. Minime accurate sed valde neglegenter diploma nobis traditum est, et maxima lectionum discrepantia[6]).

---

1) cf. Voigt I, 284, 386 sqq.; II, 301 sqq. cet.

2) cf. C. d. P. I, 8.

3) cf. Ewald p. 28.

4) Hasselbach, Cod. Pomer. dipl. I, 116; Watt. p. 229, Ewald 21, Rethwisch 13.

5) Theiner I, 4 sqq.

6) cf. A. B. I, 268 sqq.; Ewald 33 sqq. cet. vel etiam dies in literis formula minime usitata ascriptus est.

2. Mirum in modum bulla ecclesiae Plocensis non ipsa datur sed narratur et a diplomate Conradi plane concluditur [1]; Kromer contra [2]) prorsus haec duo instrumenta segregat; vel etiam papae confirmatio A. B. I, 270 invertit donationum ordinem nexumque.

3. In subscriptione archiepiscopi Gnesnensis verbum illud »consentiente« interpolatum mihi esse videtur.

4. Mirum est, quantae donationes Christiano oblatae sint, ut quod et ipsi erat utilissimum (cf. exc. II) permitteret.

5. Si praevias exhibeat diploma condiciones, levitate intellegatur scriptura depravata.

6. Sine ullo fere ordine res donandae enumerantur, neque numerus donationum quasi rotundus non est suspectus, praesertim cum ille numerus re non expleatur.

7. Quae Rethwisch p. 58 sq. profert, nihil ad rem; nam non nisi epitomarum proprietates Kromeri epitomae exhibent, nulla maioris auctoritatis vestigia.

8. Ratane sit pactio Lovicensis, incertum est; nam nulla exstat Christiani consensio.

9. Praecipue ab eis, quae nobis prodita sunt, exemplis instrumenti Lovicensis abhorret papalis confirmatio mensis Aprilis a. 1223 (A. B. I, 270, Theiner I, 29) [3]). Atque ex hac ipsa bulla papali veras Conradi et ecclesiae Plocensis donationes restituendas esse censeo.

10. Quod vero iustae hae donationes deperditae sunt, servata diplomata spuria, haut ita mirum est; nam »oft haben gefälschte Diplome mit weitergehendem Inhalte die ursprünglichen echten werthlos gemacht und deren Vernachlässigung herbeigeführt« [4]).

---

1) cf. usitata ratio A. B. I, 396.

2) cf. Rethwisch p. 59.

3) Perperam Ewald p. 43 sq. de his rebus disputat.

4) Sickel, Urkundenlehre p. 26.

VII.

Instrumenti a. 1226 a Friderico II imperatore Teutonicis dati[1]) annus ita emendandus videtur:

1. p. Chr. n. a. 1226.
2. indict. XIV[2]).
3. Romani imperii a. VI[3]).
4. regni Ierusalem a. I[4]).
5. regni Sicilie a. XXVIII[5]).

Annus enim regni Siciliae cum anno incarnationis commutatus esse videtur. Recte annus ascriptus est in bulla H. Bréh. l. c. p. 547 etcet. Itaque mense Mart. a. 1226 diploma imperatoris datum est; nihilominus Winter p. 282 ordinem a. 1230 in Prussiam advocatum finxit.

VIII.

Diploma, quod Dusburgius II, 5[6]) commemorat idem est atque instrumentum Crusvicense[7]).

1. »Prepositi« nomen et in Dusburgii codicibus et in diplomatis dubium est, sed utraeque lectiones variae inter se omnes simillimae sunt: Codd. (Scr. r. P.) »Gernuldus« etc.; A. B. et Watt. »Arnoldus«, Theiner »Bervuldus«.

2. Dusburgius non octo sed novem testes enumerat et tantidem diploma Crusvicense (Theiner decem).

3. Quae de Gunthero et Iohanne Waitz profert, Toeppenii magis confirmant sententiam.

---

1) W. dpl. 11, Huillard Bréholles II, 1, 549.

2) cf. Sickel 226.

3) cf. Schirrm. I, 192, Winkelm. 148.

4) cf. Schirrm. II, 92, Winkelm. 193.

5) cf. Schirrm. I, p. 8.

6) Scr. r. P. I, 36 sq.

7) Contra Voigtium II, 171, Roepellium I, 437, Waitzium 1772 sq. cf. Toeppen, Historiographie 275 sqq., Scr. r. P. I, 37, Watt. p. 50, Romanowski p. 33, Rethwisch 57.

4. Ad nomen ».....iunior« vel »....senior« facile alterum addi potuit, aut ex ambobus unum omitti cf. Sickel p. 386.

5. Codex quidam Hartknochii (cf. Scr. r. P. I, 37) inter verba »senioris et iunioris« nomen »Ieroslai« interponit, vestigium puto »Nicolai« illius, quod nomen unum a Dusburgio non traditum est.

6. Ordo Testium codicibus Dusburgii atque instrumentis idem est.

7. Ipse Dusburgius annum incertum esse voluit: »circa a. 1226«. cf. III, §. 2.

8. Lubovia, cuius Dusburgius mentionem facit, etiam diplomate Crusvicensi tacite donatur cf. exc. XIV.

VIIII.

Diploma Guntheri Plocensis VI non. Iul. a. 1228 datum (C. d. P. I, 19) Rethwisch p. 52 subditicium esse probavit, inprimis quod falsus dies ascriptus sit. Atqui Guntherus si Conradi donationem quandam commemorat, duobus diebus post datum (IV non. Iul. A. B. 1, 346) respexisse profecto minime necesse est[1]); nam plus unam donationem Conradus dedisse videtur. Neque hoc ipsum diploma unius »Conradi donatio« est, sed Guntheri quoque et capituli Plocensis; et eodem modo omnium simul donationes a papa confirmatae sunt[2]). Itaque mihi primae, quae nobis deperditae sunt, Conradi reliquorumque donationes IV non. Iul. 1228 conscriptae in unum diploma esse videntur, ut una confirmatione papali omnes simul sanciri possent; nam paparum confirmationes pecunia emendae erant. Guntheri autem, de quo agitur, instrumentum VI non. Iul. datum rebus non est suspectus, sed diplomatis omnium donationes

1) cf. Watt. regest. ad a. 1228.

2) C. d. P. I, 21, Theiner I, 36.

consociantibus et confirmantibus ita simile est, ut huius autographi adulterandi nulla exstet caussa.

Quod autem hoc archetypo Guntherus iam VI non. Iul. »episcopus« appellatur, »electus« vero diplomate illo IV non. Iul. dato: nescio an exemplar istud VI non. Iul. ipse Guntherus scripserit statim cum consecratus esset, ut priorem, quam »electus« fecerat donationem, consecratus episcopus confirmaret; Teutonici contra IV non. Iul. hanc priorem describendam et cum reliquis conscribendam curaverint. Praeterea etiam in ipsis autographis dies, mensis, annus modo falsi ascripti modo plane praetermissi sunt[1]), quod hoc in autographo facilius fieri potuit, cum aliud describeretur. Atque fratres militiae Christi iam »de Dobrin« Guntherus appellat; certo enim ecclesia Masoviensis novum ordinem continuo cum conderetur iam donis illis donavit, cum Guntherus »electus« erat et Dobrinenses non nisi primo nomine appellabantur. Certe vero is rationem probabiliorem sequi videtur, qui exempla illa ex autographis, vel etiam invicem, emendare mavult, quam hoc exemplar, apographis forma externa non plane consistentibus, spurium reicere. Accedit, quod confirmatio papalis Guntherum »episcopum Mazovie tunc[2]) electum« appellat, ita ut in diplomate illo multa congregante et IV non. Iul. dato deesse aliquid videri possit[3]).

X.

Bulla papalis quae ordinem Dobrinensem confirmat (C. d. P. I, 20, Watt. dpl. 14) a Waitzio et Rethwischio perperam subditicia habetur.

1. Quod enim »bone memorie« episcopus Prussiae nominatur, rara ea est viventium appellatio neque tamen

1) Sickel 341 sqq.

2) i. e. cum primum ordinem donaret.

3) cf. Sickel 386.

inaudita. cf. G. D. Hoffmann[1]) III, 67—108. Quae vero Sickel, Beiträge zur Diplomatik IV p. 607[2]) exhibet tantum abest, ut Hoffmannum refutent, ut novum illius observationibus exemplum afferant. Atque aliud nostra bulla profert, aliud Willibaldi vita Bonifatii cap. V. Quo loco Bonifatius regnantem ad id papam »beatum sancte recordationis Gregorium papam« appellat. Quin etiam »beatae memoriae adhuc vivens episcopus« quidam nominatur (Hoffmann p. 71) et comes quidem »bonae memoriae« se ipse appellat (l. c. 75). Itaque medio aevo minime alienum a consuetudine sermonis fuisse videtur, huiusmodi appellationibus etiam viventes ornari.

2. Nihilominus rarum est illud »bone memorie«; atqui usitata desideratur episcoporum appellatio papalis: igitur mendum fortasse tollendum est. Aut ab eo, qui transcripsit diploma[3]), addita sunt illa verba suspecta[4]).

3. Quod Christianus Prussiae episcopus Dobrinenses ordinasse dicitur a condicione rerum hominumque non abhorret, etsi Conradum Masoviae ducem auctorem et dominum Dobrinensium habemus. Nam et haec ipsa bulla papalis equites appellat »fratres militiae Christi contra Prutenos in M a s o v i a« et aliud quoddam illi respondens diploma (C. d. P. I, 43) Guntherum Masoviae episcopum Dobrinenses cum Teutonicis sociasse narrat: Uterque ergo episcopus auctore duce episcopalibus consecrationibus sacramentisque functus esse videtur, quae papae sanxerunt.

Waitz vero p. 1791 et Rethwisch p. 52 ob falsas illas opiniones, quas Watterich ex hac bulla effici voluit, ipsam bullam suspectam nescio an habuerint.

---

1) Vermischte Beobachtungen aus denen Teutschen Staatsgeschichten und Rechten. Augspurg 1764.

2) Sitzungsberichte der phil.-hist. Cl. der Wiener Ak. d. W. Bd. 47. Wien 1864.

3) cf. Rethwisch p. 52.

4) cf. Sickel l. c. cf. Urkundenlehre p. 386.

XI.

Perperam Rethwisch p. 59 sqq. diploma a. 1228 a Conrado duce Teutonicis datum [1]) spurium esse probare voluit.

1. Bene id intuendum est, quod exempla tantum, nulla exemplaria ducalium donationum servata sunt [2]); quodque priora duo Conradi instrumenta, pactione Crusvicensi inita, facile neglegi poterant, quippe quae nullius fere essent momenti.

2. Ordinis appellatio aut mendose descripta est, aut Polonis non iam accurate nota erat; nam rectae appellationes non nisi certis quibusdam condicionibus diplomatum fidem diiudicanti ita magni aestimandae sunt cf. Sickel p. 213, 277 sqq.

3. Quod insequenti a. 1229 Orlau villa iterum ordini donatur [3]) i. e. confirmatur, minime mirum est [4]); et diplomatis prooemium donata iam rursus dare videtur; quod factum esse puto, quia Orlau, villa in Cuiavia sita, alienum erat a donatione terrae Culmensis ter facta. Quae Watterich ex donatione villae Orloviae iterata sibi collegitur, de prima, quam tractamus, Conradi donatione sententiam nostram movere non potest.

4. Officium ordinis i. e. bellum Prussicum non constitutum erat, quia id supervacaneum fuit [5]).

5. Mira brevitate et exilitate haec Conradi bulla non est, nisi cum raris illis et longissimis comparatur. Atque id rerum condicionumque explicationi convenit, quod documenta insequentia accuratius easdem res pertractant.

---

1) A. B. I, 394, W. dpl. 12.
2) cf. Waitz 1771.
3) C. d. P. I, 22.
4) cf. Waitz 1782.
5) cf. III, §. 3.

6. Si »fratres« Conradus nominet ceteros Poloniae duces, inusitata has appellatione diploma neque rebus neque forma reliqua suspectum subditicium effici non possit [1]). Sed cum ante »fratrum« illud de »omnium heredum accedente consensu« dicatur, ita ut filiorum Conradi desiderentur sigilla apposita: »filiorum« mihi legendum esse videtur.

7. Christiani episcopi documentum Conradi donationem commemorat (W. dpl. 13) ita ut Rethwischio p. 33 et 39 interpretatione et iusto subtiliore neque ullo modo probabili utendum est. Quin etiam ipsi Rethwischio, qui diplomata illa falsa probavit, aliud aliquid eisdem simillimum in eorum locum supponendum est! ne sibi constans et alia instrumenta reiciat.

XII.

Documentum a. 1230 (mense nullo ascripto) a Conrado ordini datum [2]) Waitz 1772 et Rethwisch 60 sqq. summarium et epitomen pactionis Crusvicensis ducunt. At si summa est, epitome non est.

1. Si excerpta essent, caussae, consilia, testes donationis neque cuncta neque alio ordine enumerarentur.

2. Ut »Safia« perperam pro »Agafia« scriptum est, ita etiam »Semimislo« ex iterato »Semovito« factum esse potest [3]), nam epitomen nomen addidisse, absurdum est; aut in diplomate Crusvicensi nomen quarti filii deest. Certe vero haec nominum discrepantia ab opinione illorum aliena potius quam consentanea est.

3. Ordo exstat donationum; iura enim metallorum, venationum, commerciorum in Teutonicos transferuntur; sed enuntiatio mendose tradita videtur.

4. Caussam mihi invenire nequeo, cur illud »que

---

1) cf. Hoffmann III, 67—70; Sickel, Urkundenlehre 386, 341 sqq., 174 (cf. 204 et 370).

2) A. B. I, 402, Watt. dpl. 18; cf. exc. XI 1. 5. 7.

3) cf. Sickel 370, 338, 341.

scribi solent in privilegiis« in diplomatis similibus similia non significet.

5. Quod Rethwisch p. 63 hac bulla Teutonicos Conradi vasallos factos esse putat, eodem errore versatur atque Romanowski p. 46; nam »cum omni (vel bona) fidelitate«, »cum omni (vel bona) fide«, »sine dolo« idem omnia declarant cf. supra III, §. 3.

6. »Mihi cunctisque meis heredibus« dativus commodi est, qui ex verbo »fore (sc?) militaturos« pendet.

7. Cur tria (et eodem anno 1230 duo) a Conrado diplomata data sint, supra iam dictum est III, §. 3.

8. Quod instrumentum Crusvicense ordini magis benevolum et accuratius esse videtur (clientelam vero et nostro documento non statutam probavimus) nihil ad rem cf. supra III, §. 3.

9. Non eidem testes subscripti sunt atque diplomati Crusvicensi neque eodem ordine.

10. Quae adsunt similitudines minime mirae sunt et propter usitatas bullarum formulas (Sickel 174) et quia ab eodem Conrado eodem anno datae sunt atque eadem rursus donantur i. e. confirmantur (cf. Sickel 125), ita ut longior illa bulla Crusvicensis hanc breviorem explanare et illustrare videatur (cf. Waitz p. 1772).

11. Imprimis vero Rethwischii coniecturae repugnat illud »ego Guntherus episcopus Masoviae subscribo« [1]). Hanc enim subscriptionem aut notarii munere fungens (cf. Sickel 215) aut post confectum iam diploma Guntherus annotavit [2]).

12. Polonici cuiusdam studium Rethwisch agnovisse sibi videtur, siquidem auctor documenti brevioris pactionem

---

1) Quae verba Watterico nimirum denuo rerum magnarum atque machinarum suspitionem movent.

2) cf. Sickel, Beiträge zur Diplomatik IV (Sitzungsberichte d. W. Ak. d. W. 47) p. 606 cf. Romanowski p. 48.

Crusvicensem excerpsit et clientela ordinis formula illa constituitur; quod erat demonstrandum Rethwischio [1]).

Si nullae ante pactionem Crusvicensem exstarent Conradi bullae, deperditas quasdam esse ex aliis diplomatis cognosci narrationemque Rethwischiana probabiliorem [2]) assequi possemus. Atque exstant duae, quae quod minus sunt copiosae perfectaeque, rerum statui et condicionibus respondet [3]); quod vero mendose traditae sunt, vilitati eorum et levitati [4]) convenit: Itaque emendandae sunt potius quam reiciendae. cf. III, §. 3.

XIII.

Autographum diploma Guntheri XV cal. April 1230 datum [5]) adulteratum esse Rethwisch p. 65 sqq. falso putat.

1. Exstare donationes Conradi antea datas iam docuimus; praeterea et illa, quam ipse Rethwisch non reiecit Christiani bulla (W. dpl. 13) Conradi donationem commemorat.

2. Quod Guntheri diploma documento Crusvicensi similius est, quam bullae ducis breviori, et id usitatis instrumentorum formulis convenit; et apographum hoc haud ita optime traditum est.

3. Bullam Guntheri condicionibus rerum non repugnare neque episcopo Plocensi episcopalem terrae Culmensis iurisdictionem reservare, contra Roepellium supra iam docere conati sumus III §. 3. cfr. Waitz 1782.

4. Aliud vero diploma C. d. P. I 105', quod hanc anni 1230 bullam transsumpsit et mihi adulteratum esse

---

1) Quae cum ita sint, diploma quoque A. B. I, 404 falso Rethwisch reiecit. Praeter illas, quae hoc loco allatae sunt, caussas cf. exc. XI 1. 5. 7.

2) cf. exc. XI, 7 et exc. XV.

3) cf. III, §. 3 et exc. XI, 5.

4) inita pactione Crusvicensi, cf. exc. XI. 1.

5) A. B. III, 263, C. d. P. I, 105, W. dpl. 19.

videtur; at genuinam transsumpsisse, ut et ipsum veritatis speciem sibi compararet.

XIIII.

Lubovia, de qua terra a. 1240 controversia orta est (C. d. P. I 51), ordini Teutonico a Conrado duce donata vel concessa erat; nam aut terrae Culmensis finibus etiam Lubovia includitur aut reliquae Prussiae annumeranda est. Papa quoque a. 1215 Luboviensem quendam Prussum appellat[1]); et hanc sententiam ipse Conradus habuisse videtur, cum pactione Crusvicensi ter statueret, »ut beneficium sue collationis largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem Teutonicorum reciperet interpretationem.«

Quod iure expugnationis Luboviam a. 1240 Conradus sibi vindicavit, recte Teutonici id derisere. Quae vero hi contra illum argumentati sunt, et ipse Conradus persuasa habuisse videtur, ita ut tacite Teutonicis Luboviam dari sineret[2]); quam regionem legitime possidebant[3]).

At Lubovia nescio an pars terrae Culmensis habita fuerit. Tres enim territorii huius fines certi ubique constant: Ossa, Vistula, Drewenza fluvii, quartus autem dubius finis. Hoc ergo loco anceps illa terra, »que erat in lite inter Conradum et Prussos« (W. dpl. 10) sita fuisse videtur; vel illa »alia terra inter marchiam Conradi et confinia Prutenorum« (W. dpl. 11) i. e. Lubovia.

Quae Toeppen Scr. r. P. I 47 et Romanowski p. 37 argumentantur, oppidum vel oppida quaedam fuisse dictam »aliam terram,« (alia est terra Culmensis) minime veri simile est; praeterea vero illud »marchia« aut totum Conradi ducatum, aut terram Culmensem — quod optime nostris convenit sententiis — significet, necesse est. Atque

1) A. B. I, 260, W. dpl. 4.

2) C. d. P. I, 51. cf. Toeppen, Geographie 78 sqq.

3) cf. I, §. 1.

Crusvicensem excerpsit et clientela ordinis formula illa constituitur; quod erat demonstrandum Rethwischio [1]).

Si nullae ante pactionem Crusvicensem exstarent Conradi bullae, deperditas quasdam esse ex aliis diplomatis cognosci narrationemque Rethwischiana probabiliorem [2]) assequi possemus. Atque exstant duae, quae quod minus sunt copiosae perfectaeque, rerum statui et condicionibus respondet [3]); quod vero mendose traditae sunt, vilitati eorum et levitati [4]) convenit: Itaque emendandae sunt potius quam reiciendae. cf. III, §. 3.

XIII.

Autographum diploma Guntheri XV cal. April 1230 datum [5]) adulteratum esse Rethwisch p. 65 sqq. falso putat.

1. Exstare donationes Conradi antea datas iam docuimus; praeterea et illa, quam ipse Rethwisch non reiecit Christiani bulla (W. dpl. 13) Conradi donationem commemorat.

2. Quod Guntheri diploma documento Crusvicensi similius est, quam bullae ducis breviori, et id usitatis instrumentorum formulis convenit; et apographum hoc haud ita optime traditum est.

3. Bullam Guntheri condicionibus rerum non repugnare neque episcopo Plocensi episcopalem terrae Culmensis iurisdictionem reservare, contra Roepellium supra iam docere conati sumus III §. 3. cfr. Waitz 1782.

4. Aliud vero diploma C. d. P. I 105', quod hanc anni 1230 bullam transsumpsit et mihi adulteratum esse

1) Quae cum ita sint, diploma quoque A. B. I, 404 falso Rethwisch reiecit. Praeter illas, quae hoc loco allatae sunt, caussas cf. exc. XI 1. 5. 7.

2) cf. exc. XI, 7 et exc. XV.

3) cf. III, §. 3 et exc. XI, 5.

4) inita pactione Crusvicensi, cf. exc. XI. 1.

5) A. B. III, 263, C. d. P. I, 105, W. dpl. 19.

videtur; at genuinam transsumpsisse, ut et ipsum veritatis speciem sibi compararet.

XIIII.

Lubovia, de qua terra a. 1240 controversia orta est (C. d. P. I 51), ordini Teutonico a Conrado duce donata vel concessa erat; nam aut terrae Culmensis finibus etiam Lubovia includitur aut reliquae Prussiae annumeranda est. Papa quoque a. 1215 Luboviensem quendam Prussum appellat[1]); et hanc sententiam ipse Conradus habuisse videtur, cum pactione Crusvicensi ter statueret, »ut beneficium sue collationis largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem Teutonicorum reciperet interpretationem.«

Quod iure expugnationis Luboviam a. 1240 Conradus sibi vindicavit, recte Teutonici id derisere. Quae vero hi contra illum argumentati sunt, et ipse Conradus persuasa habuisse videtur, ita ut tacite Teutonicis Luboviam dari sineret[2]); quam regionem legitime possidebant[3]).

At Lubovia nescio an pars terrae Culmensis habita fuerit. Tres enim territorii huius fines certi ubique constant: Ossa, Vistula, Drewenza fluvii, quartus autem dubius finis. Hoc ergo loco anceps illa terra, »que erat in lite inter Conradum et Prussos« (W. dpl. 10) sita fuisse videtur; vel illa »alia terra inter marchiam Conradi et confinia Prutenorum« (W. dpl. 11) i. e. Lubovia.

Quae Toeppen Scr. r. P. I 47 et Romanowski p. 37 argumentantur, oppidum vel oppida quaedam fuisse dictam »aliam terram,« (alia est terra Culmensis) minime veri simile est; praeterea vero illud »marchia« aut totum Conradi ducatum, aut terram Culmensem — quod optime nostris convenit sententiis — significet, necesse est. Atque

1) A. B. I, 260, W. dpl. 4.

2) C. d. P. I, 51. cf. Toeppen, Geographie 78 sqq.

3) cf. I, §. 1.

etiam Wilhelmus Mutinensis »primam dyocesim limitavit de terra Culmensi sicut circueunt tres fluvii, Wisla, Drewanza et Ossa, ita quod in eadem dyocesi Lubovia includatur«[1]. Quae limitatio Culmense et Lubaviense territoria eisdem finibus circumscribere videtur; nam »ita quod in eadem ....« scriptum est, non »ita tamen quod«. Itaque aut Luboviae tum alii fines aut alius cursus alveusque Drewenzae flumini fuisse videntur[2].

XV.

Chronicon Olivense secutus[3]) multisque bullis temere reiectis, Rethwisch p. 38, 43, 48, 53, cet. ordinem a. 1231 demum Prussiam ingressum esse, perperam opinatur. Diplomata vero respicientibus haec exstat annorum rerumque consequentia:

1. A. 1226 (W. dpl. 11) Fridericus II imperator ordinis a Conrado duce in Prussiam advocati mentionem facit bellique instantis post imperatoriam confirmationem, promissionum ducalium, expugnationum Prussicarum. — At Rethwisch p. 42 narrat ille quidem, cum papa, duce, episcopo tunc ordini etiam agendum fuisse, sed per longum temporis spatium nihil actum esse putare videtur.

2. A. 1228 Conradus Teutonicis terram Culmensem donat (W. dpl. 12). — Hanc bullam Rethwisch spuriam esse opinatur. Christianus Teutonicos in Prussia versantes et donationem Conradi commemorat (W. dpl. 13) — Rethwisch p. 33 nihilominus Conradum nihil nisi promissiones dedisse contendit; et minime probabilem sibi finxit rerum gestarum seriem.

---

1) W. dpl. 29; A. B. II, 613 mendosas exhibet lectiones. Pro »Ossa ita quod in Prussia« fortasse »Ossa usque in Prussiam« legendum est.

2) cf. Toeppen, Geographie tab. I; p. 2—11; cf. 116.

3) Scr. r. P. I, 677.

3. A. 1229 Conradus Teutonicis novam de villa Orlau in Cuiavia sita diploma dedit (C. d. P. I 22) — Rethwisch p. 38 hanc villam datam esse concedit; at, quam a. 1225 vel 1226 iam Conradus promiserat, terram Culmensem non iam donatam (p. 34) contendit, quamvis Christianus (Rethwisch p. 33, 39, cf. 35 cet) et a. 1228 et a. 1230 »propter hanc futuram Conradi donationem« certas iam pactiones ineat.

4. A. 1230 mense Ianuario (W. dpl. 17) Gregorius IX papa Teutonicos in Germania et Prussia constitutos eorumque adiutores adhortatus est, ut »ad eripiendam de Prutenorum manibus terram ipsam . . . viriliter procedant.« — Rethwisch (p. 38 et 43) ita admonitos equites contra Prussiam proficiscentes fecit; attamen »in Prussia« finibus iam pars fratrum aderat et »adiutores« Teutonicorum iam commemorantur. Sed hos (p. 33 et 38) non nisi ut locorum naturam perspicerent quasi frontem agminis a. 1229 missos esse Rethwisch scripsit, postquam a. 1228 iam primi Teutonicorum legati ibi fuerint et a. 1226 iam promissiones illae, quas imperator confirmaverit, a duce ordini datae sint; tum a. 1230 totum ordinis exercitum advenisse Conradumque terram Culmensem et Prussiam ordini concessisse; a. 1231 denique exercitum Teutonicorum, Vistula flumine traiecto, Prussiam ingressum esse. Sed tunc temporis Teutonici haud ita ad nostrae aetatis morem bella gessisse mihi videntur. Praeterea Rethwisch p. 38 res militares a diplomaticis minime distinxit.

5. Eodem anno 1230 secundam de terra Culmensi Conradus Teutonicis scripsit donationem (W. dpl. 18.) Mense Martio a. 1230 (W. dpl. 19) Teutonici »inimicis Christi audacter resistunt et eos etiam fortiter impugnant.« — Utrumque bullam Rethwisch spuriam reiecit p. 60 sqq. et 65 sqq.

6. Mense Septembri a. 1230 (Theiner I, 41) papa Teutonicos contra Prussos multa iam fortuna usos esse dixit. — Rethwisch (p. 43) id »westlich der Weichsel und südlich

der Drewenz« factum esse scripsit, quippe quod, chronico Olivensi auctore, a. 1231 demum Prussiam fratres aggressi essent.

7. Circa annos 1230 et 1231 (cf. III §. 4) coloni iam terram Culmensem habitabant et paciscebantur cum ordine et episcopo — Rethwisch p. 43 sqq. de his rebus falso disseruit et omnem rerum probabilitatem prorsus neglexit: Colonos iam trans Vistulam consedisse et cum ordine (nimirum ut expugnatore futuro?) pactos esse, ipsum vero ordinem terram Culmensem intrare non potuisse!

XVI.

Bullae a legato Wilhelmo Mutinensi a. 1243 datae (W. dpl. 29) dies inusitate ascriptus est: »datum Anagnie a. d. m cc x l iii quarto die instantis Iulii, indict. I, pontificatus eiusdem domini papae anno I«. Accedit quod IV kal. Aug. demum Innocentius IV papa legato facultatem instituendorum episcopatuum fecit (C. d. P. I, 56, Theiner I, 75). Sed ceteroquin diploma illud non est suspectum et persaepe confirmatum (W. dpl. 30, A. B. II, 611, Theiner I, 751). Atque papalis illa bulla non tam permissio agendi quam confirmatio rerum gestarum esse videtur (cf. C. d. P. I, 17 et 47, cf. Sickel p. 397 sq.). Etenim ipse Innocentius IV papa VII kal. Iul. creatus est; et »quarto die instantis Iulii« Wilhelmo »in eiusdem presentia constituto [1]) commiserat, ut limitare posset dioeceses . . .« (Watterich p. 202 sq. iusto subtilius distinguit.)

1) Quae verba idem valere videntur atque »praesente sermone«; oppositae sunt diplomaticae auctoritates.